DE

MEGARICORUM DOCTRINA

EIUSQUE APUD

PLATONEM ET ARISTOTELEM

VESTIGIIS.

SCRIPSIT

FERDINANDUS DEYCKS,

PHIL. Dr.

BONNAE

APUD E. WEBERUM

MDCCCXXVII.

Κρεῖττον γάρ που σμικρὸν εὖ, ἢ πολὺ μὴ ἱκανῶς περᾶναι.

PLATO THEAET. p. 187. e.

VIRIS

CLARISSIMIS DOCTISSIMIS

HUMANISSIMIS

GEORGIO ARNOLDO IACOBI,

ET

CAROLO GUILELMO KORTÜM, D.

PIE GRATEQUE

SACRUM.

L. S.

Megaricorum laudes, a quibus fere solent scribendi capere exordium, qui de his rebus disputant, neminem a me velim exspectare. Nam quum uberior earum expositio neque magnam in eiusmodi quaestione utilitatem neque iucunditatem habere possit, tum hanc sectam ab oblivione hominum vindicare omnium minime est necesse. Quid enim eorum memoria illustrius inveniri potest, qui et omnium primi Socratis veram incorruptamque rationem propagasse, et in ea re ipsum Platonem adiutorem habuisse videantur? Praesertim quum dialectica Megaricorum laus totius antiquitatis ore celebretur, quae integra atque intacta semper mansisset, nisi per magnam disserendi intemperantiam praeclarae eorum doctrinae labes mature adspersa esset, quae diu ei inhaesit, hodieque fortasse haereret, nisi unius doctissimi viri industria esset sublata.

Exortus est enim G. L. Spaldingius, qui Megaricae rationis tutelam suscepit, exiguae sane molis libello, sed doctrinae iudiciique plenissimo, qui ita inscribitur: *Vindiciae Megaricorum.* Halis Saxonum, 1791. Qui quum Megaricis prudentissime patrocinetur, plurimaque egregie exponat, atque ea praesertim, quae ad Eleaticam huius disciplinae originem pertinent, nemo tamen mirabitur, multa adhuc inveniri, quae nos hodie melius cognita et explorata habeamus. Id quod Schleiermacheri in primis, Viri Summi, immortalibus debetur meritis, qui nostra demum aetate primus omnium Platonis et legendi et intelligendi tulit leges.

Quamobrem dignum hunc viribus ingenii periclitandis campum quum existimarem, proposui mihi, primum quidem Megaricorum res atque doctrinam accuratius explorare, tum autem quae apud Platonem et Aristotelem huius doctrinae vestigia exstent, indagare. Nihil enim efficacius ad omnem veteris sapientiae cognitionem esse arbitror, quam hanc similium finitimarumque rationum comparationem. Quae res haud scio an nusquam maiore cum fructu et delectatione sit coniuncta, quam in iis, quae a Socrate manarunt, philosophorum familiis. Quae enim Socraticae philosophiae historia tantopere a viris doctissimis desiderata est, ea tum demum utiliter poterit institui, ubi singularum familiarum quae fuerint artes, planius erit explicatum. Quis autem non videt, quanta deinde ad divinum Socratis ingenium lux sit redundatura?

Duo igitur erunt huius libelli capita: quorum primum quam fieri potest brevissime historiam Megaricorum enarrabit, alterum doctrinam eorum exponet. Cuius rei difficultates sentio, quam sint magnae. Neque vero umquam viribus sane infirmis eam essem aggressus, nisi animos adderet ipse ille PLATO, qui in quaestione gravi et difficili fortiter progredi iubet, ut aut, quod summopere cupimus, verum inveniamus, aut ne ea nos scire arbitremur, quae revera nesciamus *).
Quod si mihi quoque contigerit, fructum me studii sat amplum arbitrabor percepisse.

---

*) Plato Theaet. p. 187 c.

I.

MEGARICORUM HISTORIA.

Euclidem Megaricorum principem ac parentem fuisse, omnes uno ore consentiunt. Quare ab eo incipiamus, ut reliquos deinceps doctores persequamur.

EUCLIDES.

Euclides Megarensis a Diogene Laertio[1]), Cicerone[2]) et Strabone[3]) laudatur, quibus addas, si placet, Suidam in v. *Εὐκλείδης* et Stephanum Byz. de Urb. v. *Μέγαρα*. Erant tamen, qui Euclidem Geloum dicerent, Alexandro *ἐν διαδοχαῖς* apud Diogenem l. l. referente. Hanc autem opinionem errorem potius, quam veram sententiam fuisse, valde probabile est. Videntur enim librarii, iam ante Alexandrum, Euclidem nostrum confudisse cum Euclide *τῷ γελοίῳ*, id est scurra, cuius mentio fit apud Athenaeum[4]), et *Γελῷον* pro *γελοίῳ* fecisse. Similem errorem vide apud Menag. ad Diog. L. II. 106.

---

1) Diog. L. II. 106.

2) Cic. Acad. II. 42.

3) Strab. IX. 1. p. 393. Cas. 602. Alm.

4) Ath. Dipnos. VI. 40, Heindorf. ad Plat. Euthyd. p. 342.

Aetatem Euclidis nemo tradidit. Platonis eum aequalem existimo. Natus ergo fuerit Ol. LXXXVIII. sive LXXXIX. De iuventute eius primisque studiis nihil constat. Adolescens ad Socratem pervenit, quem deinde ita adamavit, ut in clarissimis eius discipulis una cum Aeschine, Phaedone et Aristippo numeraretur [1]. Socratem audiendi causa Megaris saepe Athenas commeabat, id quod in primis patet e splendidissimo Platonici Theaeteti prooemio, p. 143. a. Quapropter notissimae illi apud Gellium [2], de Euclide qui noctu muliebrique veste Athenas venerit, narrationi non omnem, ut Spaldingius [3], fidem denegarim. Socrati morienti affuisse dicitur cum Terpsione Megarensi apud Platonem [4]. Quum deinde Socrate mortuo Megaris esset, reliquos Socraticos atque ipsum quoque Platonem triginta tyrannorum metu ad eum affluxisse ferunt. Ita Hermodorus apud Diog. L. II. 106. III. 6. ib. Menag. Conf. Bentleii Opusc. phil. p. 54. Lips. Ast. de vit. et script. Plat. p. 22. De vita et moribus [5] praeter insignem in fratrem clementiam nihil admodum comperimus. V. Plutarchum de frat. am. p. 489. d. p. 990. Vol. II. 2. Wytt. Stob. S. LXXXII. p. 475. Gesn.

Dialecticam prae ceteris apud Socratem eum coluisse inde iam patet, quod Plato eum Theaeteti dialogi potissimum argumentis cognoscendis operam dedisse dicit.

---

1) Diog. L. II. 47.

2) Gell. N. A. VI. 10.

3) Vind. Meg. p. 3. not.

4) Plat. Phaed. p. 59. b.

5) Euclidis effigies exstat, ut putant, in numismate Megarensium, unde expressa est in ed. Diog. L. Meibom. p. 141. et apud E. Q. Viscontium, Iconogr. Graec. Vol. I. T. XXVI. p. 296. sq.

Verum ea res clarius etiam indicatur a Diogene L. II. 30.[1]. Socrates, inquit, *ὁρῶν Εὐκλείδην ἐσπουδακότα περὶ τοὺς ἐριστικοὺς λόγους, ὦ Εὐκλείδη, ἔφη, σοφισταῖς μὲν δυνήσῃ χρῆσθαι, ἀνθρώποις δὲ οὐδαμῶς.* Ibi enim *ἐριστικοὶ λόγοι* sine dubio ad Eleaticas rationes pertinent, quarum Euclides studiosus fuerat[2], antequam ad Socratem veniret. Eandem porro disputandi rabiem in eó coarguunt acerbissimi aliquot Timonis illius Sillographi[3] apud Diogenem L. II. 107. versus. Eadem causa etiam fuit Diogeni Sinopensi, ut *Εὐκλείδου σχολὴν* iocose appellaret *Εὐκλείδου χολήν.* Vid. Diog. L. VI. 24.

Euclides dialogos edidit sex: Lampriam, Aeschinem, Phoenicem, Alcibiadem, Critonem, Amatorium[4]. Quorum fidem Panaetius in dubium vocabat[5]. Sed veri simillimum est, Euclidem quoque usum esse communi illa omnium Socraticorum disserendi ratione. V. Diog. L. III. 47. et C. A. Brandis, de Socr. doctr. in Mus. Rhen. philos. et iurispr. I. p. 120.

Euclides igitur fuit primus, qui scholam Socraticam conderet. Idque accidisse puto statim post Socratem mortuum, id est Ol. LXXXXV. Quae schola decursu temporum nominibus variis est nuncupata. Diog. L. II. 106. ita: *Καὶ οἱ ἀπ᾽ αὐτοῦ Μεγαρικοὶ προσηγορεύ-*

---

1) Benignius itaque quam verius est viri doctissimi G. Groen van Prinsterer de Euclide iudicium, Prosopogr. Plat. p. 54.

2) Diog. L. II. 106.

3) Diog. L. IX. 111.

4) Diog. L. II. 108. Suid. v. *Εὐκλείδης*, qui, nescio quo iure, addit: *καὶ ἄλλα τινά.*

5) Diog. L. II. 64.

οντο, εἶτ' Ἐριστικοί, ὕστερον δὲ Διαλεκτικοί, οὓς οὕτως ὠνόμασε πρῶτος Διονύσιος ὁ Καρχηδόνιος, διὰ τὸ πρὸς ἐρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν τοὺς λόγους διατίθεσθαι.

Appellati sunt ergo primum *Megarici*. Atque Megarica quidem secta in decem [1] ethicis, id est Socraticis, familiis numeratur [2]. Idque nomen est frequentissimum. Conf. v. c. Aristot. Metaph. IX. 3. p. 177. Brand. Sic Theophrastus *Μεγαρικόν* uno volumine edidit [3], qui an Megaricorum decreta tractarit, nescimus. Eodem nomine utuntur Strabo IX. 1. p. 602. Alm. Cic. Acad. II. 42. de Or. III. 17. Fat. 5. Seneca Epist. 88. Item Epicurus librum suum adversus Stilponem inscripsit: *πρὸς τοὺς Μεγαρικοὺς διαπορίαι* [4], ex quo haud scio an petita sint, quae apud Plutarchum adv. Colot. p. 1127. d. p. 606. Wytt. Vol. V. 1. Diog. L. X. 8. et apud Senecam Epist. 9. extr. leguntur.

Eristicorum nomen ludibrii causa permature eis videtur esse inditum. Nisi forte Zeno iam Eleaticus propter acerrimum dialecticae studium id sibi peperit. V. Voss. de Philos. sectis, c. XI. Menag. ad Diog. L. II. 106. Conf. Plat. Soph. p. 216. b. 231. e. Aristot. Phys. ausc. I. 2. I. 3. init. et ante omnia Elenchos Soph., ubi saepissime Eristicorum nomine Megaricos, Sophistas atque Rhetores comprehendere videtur. Arcesilas etiam Academicus disputandi rationem interrogando atque respondendo *ἐριστικωτέραν* fecisse dicitur. Diog. L. IV. 28. Ad eiusmodi controversias sophisticas sine dubio

---

1) Vel Hippoboti *novem*. Diog. L. I. 19.

2) Diog. L. I. 18. ib. Menag.

3) Diog. L. V. 44. VI. 22.

4) Diog. L. X. 27.

Antisthenis quoque libri duo pertinent, quos ἐριστικούς inscripsit. V. Diog. L. VI. 17.

Multo honorificentior est *Dialecticorum* appellatio, qua Dionysium illum, cuius praeter nomen nihil scimus, usum esse supra vidimus. Nam haec interrogandi consuetudo propria quondam Zenoni [1], deinde familiaris ante omnia fuit Megaricis. Atque Plato quidem ubique Dialecticum segregat ab Eristico pariter atque Sophista. V. Phileb. p. 16. e. Soph. p. 253. c. conf. Aristot. Elench. Soph. XI. p. 561. Buhle. Aristoteles autem Dialecticos cum Sophistis coniungit, propterea quod eandem philosophis rem tractantes, scientiam scilicet τοῦ ὄντος, utrique tamen eo differant, quod diversa eam tractent ratione. Nam, inquit, ἔστιν ἡ διαλεκτικὴ πειραστική, περὶ ὧν ἡ φιλοσοφία γνωριστική· ἡ δὲ σοφιστικὴ φαινομένη, οὖσα δ᾽ οὔ. Metaph. III. p. 64. Br. add. II. p. 41. et praeclarum locum L. X. p. 218. Dialecticus igitur versatur quidem in consideranda Entis natura, οὐχ ᾗ δ᾽ ὄν, ἀλλ᾽ ᾗ ἔνδοξον. V. Anal. post. I. 2, 6. 10, 3. 14, 7. all. Vides, quantum haec Aristotelis δοξαστικὴ dialectica a Platonica illa scientiarum regina distet.

Dialecticorum catalogum habemus apud J. A. Fabricium B. G. Vol. III. p. 626. sqq. Harl. et Jons. Script. hist. phil. ll. 1., qui omnes Megaricis ut sint annumerandi, magnopere vereor. Ac primum quidem certum est, quosdam Academicos Dialecticos fuisse vocatos, quorum principem statuebant Clitomachum Carthaginiensem [2], tum autem postea Stoicis quibusdam recentioribus, qui dialecticae docendae se totos darent,

1) Plat. Soph. p. 217. c.

2) Diog. L. I. 18. 20. IV. 67.

eam appellationem propriam fuisse. Vid. Cic. Orat. 32. Tusc. IV. 9. Acad. II. 30. ib. Davis. Priscian. Ars Gramm. L. II. p. 66. Krehl. Plin. Prooem. H. N. I. p. 9. Bip. Ita v. c. Artemidorus dialecticus, qui scripsit adversus Chrysippum [1]), Heraclides Bargylietes dialecticus [2]), qui scripsit adversus Epicurum, mihi quidem Megarici non videntur, neque magis *τοὺς περὶ Δεινίαν καὶ Ἀριστοτέλη τὸν διαλεκτικόν* [3]) Sicyonios huc referam, unde Diniam dialecticum male fecit Fabric. l. c. p. 626. Contra reapse sunt et *Dialectici* et *Megarici* Eubulides dialecticus apud Suid. in v. *Δημοσθένης*. Plutarch., quem vocant, vit. X. Orat. p. 845. c. Athen. X. 10. p. 437. e. Appulei. Orat. de Mag. p. 18. T. II. Bip. Phot. Cod. 265. p. 493. T. II. Bekk. Diodorus dialecticus apud Strab. XVII. 3. p. 838. Cas. Alexinus dialecticus apud Athen. XV. 16. p. 696. Cas. Philo dialecticus, quem male confundit Aldobrand. et ante eum Hieronym. contra Jovinian. L. I. apud Menag. ad Diog. L. II. 111. cum Philone Academico [4]), v. Diog. L. VII. 16. Sext. Empir. adv. Log. II. 113. p. 479. Fabr. Clem. Alex. Strom. IV. p. 523. Sylb. Deinde Dionysius quoque dialecticus, quem Theodorus Cyrenaicus [5]), Panthoedes dialecticus, quem Lyco Peripateticus audivit [6]); tum Megarici erant illi, quos Polemo Academicus aspernabatur, dialectici [7]); postea ii,

---

1) Diog. L. IX. 53.

2) Diog. L. V. 94.

3) Plutarch. Arat. 3.

4) Menag. ad Diog. VII. 16. Davis. ad Cic. Acad. II. 47.

5) Diog. L. II. 98.

6) Diog. L. V. 68. VII. 193. Sext. Emp. Log. VII. 13.

7) Diog. L. IV. 18.

adversus quos Aristo Chius scripsit libros tres [1]), denique quos Epicurus πολυφθονέρους contumeliose appellabat [2]).

Hactenus de scholae nominibus. Quod autem ait Menag. ad Diog. L. VII. 25., Megaricos apud Aristotelem dici τοὺς ἀπὸ κήπου, in eo fortasse eruditissimus homo erraverit.

EUBULIDES.

Sequitur Eubulides Milesius. Τῆς δ' Εὐκλείδου διαδοχῆς ἐστι καὶ Εὐβουλίδης ὁ Μιλήσιος, ait Diogenes [3]), unde haud scio an recte colligi possit, eum scholae Megaricorum praefuisse. Eubulides autem Dialecticam in primis videtur excoluisse [4]). Nam celeberrimae illae captiosarum interrogationum formulae ei potissimum tribuuntur. Quae quantos per Graeciam clamores et strepitus moverint, facete a Comico quodam apud Diogenem Laertium [5]) describitur. Demosthenem etiam oratorem inter Eubulidis auditores fuisse, scriptum videmus [6]),

---

1) Diog. L. VII. 163.

2) Diog. L. X. 8. ib. Menag.

3) Diog. L. II. 108.

4) Ἐπὶ δὲ τὸ λογικὸν κατηνέχθησαν μέρος οἱ περὶ Πανθοίδην καὶ Ἀλεξῖνον καὶ Εὐβουλίδην καὶ Βρύσωνα, Διονυσόδωρόν τε καὶ Εὐθύδημον Θούριοι, ὧν μέμνηται καὶ ὁ Πλάτων ἐν τῷ Εὐθυδήμῳ. Sext. Emp. Log. VII. 13. p. 372. F.

5) Diog. L. II. 108.

6) Diog. L. II. 108. Suid. in v. Δημοσθένης. Pseudo-Plutarch. vit. X. Orat. p. 845. c. p. 390. vol. IV. 1. Wytt. Appulei. Orat. de Mag. p. 18. T. II. Bip. Phot. Bibl. Cod. CCLXV. p. 803. H. T. II. p. 493. Bekk.

neque ea res ab eius ingenio abhorret. Ita Cicero quoque a Stoico Diodoto in dialectica exercebatur, quae quasi contracta et adstricta eloquentia putanda est, quemadmodum ipse ait in Bruto, c. 90. Quamquam mirum est, nihil eiusmodi nec Plutarchum in Demosthenis vita, neque alium quemquam narrare. Longe certiores sunt Eubulidis cum Aristotele inimicitiae. Quid quod librum etiam edidit in Aristotelem contumeliis refertum? Diog. L. II. 109. ib. Menag. Athen. VIII. 13. p. 354. Eiusmodi convicia quaedam servavit Aristocles Peripateticus apud Euseb. P. E. XV. 2. p. 474. R. Steph. De Eubulidis vita nihil omnino constat, quamquam aequalem eum fuisse Aristoteli, qui natus est Ol. IC, 1. [1]) probabile est. Nec magis, qui in schola Megaricorum eum subsecutus sit, cognitum habemus.

ICHTHYAS.

Ichthyas Metalli filius, vir nobilis, ut ait Diog. L. II. 112. ex Euclidis disciplina prodierat. Suidas v. *Εὐκλείδης* dicit, eum scholae praefuisse post Euclidem. Quae tamen res incerta est. Mentio eius fit apud Athen. VIII. 3. p. 335. Cas.

Huic adiungamus ipsius familiarem Thrasymachum Corinthium [2]), quem Stilponis doctorem ferunt, et Clinomachum Thurium, qui primus de praedicatis et axiomatis scripsit. Diog. L. II. 112. Eius porro discipulum Brysonem Stilponis filium audivit Pyrrho [3]). Quem con-

1) Diog. L. V. 9. Neque vero alienum Eubulidem fuisse ab elegantioribus litteris, duo, quos Athen. X. 10. p. 437. e. e dramate eius, *Κωμασταῖς*, laudat, versus ostendunt:

σοφιστιᾶς κάκιστε, καὶ χοῶν δέῃ
τῶν μισθοδώρων, οὐκ ἀδείπνων ἐν τρυφῇ.

2) Diog. L. II. 113.

3) Suid. v. *Πύῤῥων*. Diog. L. IV. 61. ex Menag. emend.

fundere noli cum Brysone Achaeo, quem praeter Diogenem audivit Crates [1]. Cuius, ut mihi quidem videtur, est eristica quadratura (τετραγωνισμός) circuli, quam commemorat Aristot. Anal. post. I. 9. ib. Buhle, p. 687. et Elench. Soph. XI. p. 564. Buhle.

Eubulidem porro audiverunt Euphantus Olynthius, historicus et tragicus [2], et Apollonius [3] Cronus Cyrenaeus, praeceptor discipuli clarissimi valde obscurus, Diodori Croni. Strabo L. XVII, 3. p. 1195. Alm. XIV, 2. p. 973. Add. Menag. ad. Diog. L. II. 111.

DIODORUS CRONUS.

Diodorus Cronus Aminiae f. Iasensis, insignis est ante omnes dialectica laude. Cognomen Croni quo pacto acceperit, anceps fama est. Diogenes enim [4] propter ingenii tarditatem, quum in convivio a Stilpone dialectice interrogatus respondere non posset, id ei a Ptolemaeo Aegypti rege inditum esse ait; Strabo [5] autem eum ita vocatum esse propterea, quod Apollonium, qui id sibi nomen socordia [6] paravisset, praeceptorem habuisset. Quodsi autem una cum Stilpone apud Ptolemaeum fuit, id ego tum factum esse dixerim, quum Ptolemaeus expeditionem in Graeciam faceret, id quod accidit Ol. CXVII, 3. 309 a. C. n. Nam Stilponem quidem frustra a rege invitatum esse, ut in Aegyptum eum sequeretur, scimus

1) Diog. L. VI. 85. Suid. v. Κράτης. Conf. Fabric. ad Sext. Empir. Log. VII. 13. p. 372.

2) Voss. de hist. Graec. I. 8. Fabr. B. G. vol. II. p. 304. H.

3) Male nonnulli Apollodorus, ut J. G. Buhle in Comm. Gott. XI. p. 247.

4) Diog. L. II. 111.

5) Strabo XVII, 3. XIV, 2.

6) Heindorf. ad. Plat. Euthyd. p. 351.

e Diogene L. II. 115. Mortuum autem esse Diodorum prae tristitia, quum Stilponi respondere non posset, non solum a Diogene L. II. 112. sed a Plinio quoque H. N. VII. 53. narratur. Habemus etiam Callimachi [1]) in Diodorum epigrammatis fragmenta. Quo quamvis apertum est irrideri Diodorum, apparet tamen ex eo carmine, quanta tum dialecticae eius existimatio fuerit. Deinde ad Diodori in disputando argutias pertinent etiam Timonis et Aristonis de Arcesilao versiculi, apud Diog. L. IV. 33. add. Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. I. 33. Zeno quoque Stoicus antequam Polemonem audiret, a Diodoro Dialecticam percepit. Diog. L. VII. 25. De vita eius nihil constat, nisi quod Philo dialecticus, discipulus eius [2]), in Menexeno suo fortunatum eum quinque filiarum patrem Dialecticae studiosarum dixerat. Earum nomina sunt haec: Menexena, Argia, Theognis, Artemisia et Pantaclea. Clem. Alex. Strom. IV. p. 523. Sylb. conf. Menag. ad Diog. L. II. 111.

Sriptum Diodori unum tantum, de problemate quodam dialectico, commemoratur a Diog. L. II. 112., quamquam plura exstitisse probabile est.

STILPO.

Venio nunc ad Stilponem Megarensem, clarissimum huius sectae lumen et ornamentum. Eum alii Euclidis ipsius auditorem perhibuerunt, quod temporum ordo vix fert, alii autem Thrasymachi Corinthii, quemadmodum Heraclides Ponticus apud Diog. L. II. 113. Suidas [3]) Pa-

---

1) Apud Diog. L. II. 111. Callim. Fragm. LXX. p. 442. T. I. Ern. ib. Bentleius.

2) Diog. L. VII. 16.

3) Suidae quidem hac de re locus dubio non vacat. Nam quod apud Küsterum legitur: ἠκροάσατο Κράτητος τοῦ ἀ-

sicli Thebano eum operam dedisse refert, qui Euclidis discipulus commemoratur apud Diog. L. VI. 89. Quidquid est, audierit Thrasymachum aut Pasiclem, germanus certe fuit Euclideus, tantumque ingenio et eloquentia superavit omnes sui temporis philosophos, ut universa prope Graecia ad eum converteretur [1].) Attigit etiam rempublicam, quemadmodum summus eius laudator Menedemus [2]). Uxorem duxit, e qua filiam suscepit parum pudicam [3]). Temperantia eius, quum natura esset ebriosus et mulierosus, laudatur Ciceroni de Fat. 5. Consuetudinem habuit cum Nicareta Dialecticae studiosa [4]). Regibus [5]) quoque carus fuit. Nam Ptolemaeus Soter multa eum pecunia frustra secum in Aegyptum abducere studuit, et Demetrius Antigoni f. cum cepisset Megara (Ol. CXXI, 3. [6]) et domum eius conservavit, et quae essent erepta, ei restitui voluit. Stilpo vero nihil se amisisse respondit, quandoquidem doctrina et sapientia nemo eum potuerit spoliare. V. Diog. L. II. 115. Plutarch. Demetr. 9. Pseu-

---

δελφοῦ καὶ Διοκλείδου τοῦ Μεγαρέως, ὁ δὲ Εὐκλείδου τοῦ Πλάτωνος γνωρίμου, id aliis v. c. Reinesio V. L. III. p. 364. et Menagio ad Diog. L. II. 113. corrigendum videbatur: τοῦ ἀδελφοῦ καὶ Εὐκλείδου τοῦ Μ. κ. τ. λ. Ego cum Küstero faciam. Conf. Reines. Observ. in Suid. ed. Müller. p. 239. Fuit itaque Stilponis praeceptor etiam Dioclides.

1) Diogenis verba sunt: ὥστε μικροῦ δεῆσαι πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα ἀφορῶσαν εἰς αὐτὸν μεγαρίσαι. Enumerat deinceps magnam auditorum multitudinem, quos ab aliis doctoribus abstraxit Stilponis laus et doctrina. L. II. 113. 119.

2) Diog. L. II. 114. Coll. 131. 142.

3) Diog. L. II. 114. Plutarch. de anim. tranq. apud Menag. ad l. c.

4) Diog. L. II. 114. Athen. XIII. p. 496.

5) Plutarch. adv. Colot. p. 1119. c.

6) Diod. S. XX. 46. V. Wyttenb. ad Plutarch. de puer. ed. p. 102. coll. p. 44. Vol. VI. 1.

do-Plutarch. de pueror. educ. p. 18. T. I. Wytt. Seneca de Const. 5. Epist. 9. Stilponem liberius de Diis sensisse, dicta eius aliquot apud Diogenem L. II. 116. 117. ostendunt. Add. Plutarch. quo quis s. prof. sent. p. 318. T. I. Wytt. Athen. X. 5. p. 422. d. Casaub.

Dialogi eius novem [1]) ferebantur frigidi, ut ait Diog. L. II. 120: Moschus, Aristippus sive Callias, Ptolemaeus, Chaerecrates, Metrocles, Anaximenes, Epigenes, liber ad filiam suam, Aristoteles. Quorum argumenta si e titulis liceat divinare, Aristippum quidem ad Cyrenaicos, Aristotelem ad Peripateticos refutandos censeam pertinuisse.

In discipulis Stilponis clarus in primis est Zeno Stoicus, id quod longe maximi est momenti ad utriusque sectae, Megaricae Stoicaeque, affinitatem et coniunctionem. Vid. Diog. L. II. 120. VII. 2. et ante omnia L. VII. 25. Simile Megaricis atque Cynicis iam pridem intercedebat doctrinae commercium. Etenim Stilpo Diogenem narratur audivisse, quemadmodum Stilponem Crates. Conf. Diog. L. VI. 76. II. 114. Seneca Epist. 10. p. 402. Lips. Nimirum is erat iam philosophorum mos et ratio, ut non uni alicui praeceptori sese darent, in cuius deinde verba iurarent: sed ut operam dantes pluribus, diversissimas etiam rationes cognoscerent. Sic Epicurus Xenocratem ferebatur audisse [2]), atque Clitomachus Academicus versatus erat in tribus sectis, Academica, Peripatetica atque Stoica [3]). Quid quod Scepti-

---

1) Corruptus est dialogorum apud Suidam numerus. Nimirum legendum est ibi: *Καὶ ἔγραψε διαλόγους οὐκ ἐλάττους τῶν η'*, pro *οὐκ ἐλάττους τῶν κ'*. Stilponis autem octo revera erant dialogi et una ad filiam epistola. Stilponis *ἀπομνημονεύματα*, id est commentarios de philosophia, laudat Athen. IV. 17. p. 162. c. ib. Casaub.

2) Diog. L. X. 13.

3) Diog. L. IV. 67.

corum etiam origines cum Megaricis quodam modo sunt coniunctae; namque Pyrrho praeter alios Brysonem quoque audivit Stilponis filium [1], Timonemque, antequam ad Pyrrhonem veniret, Stilponi operam dedisse narrant. V. Diog. L. IX. 109.

Stilpo valde senex mortuus est [2]. Annus quidem incertus est: si quis tamen ad Olympiadem CXXIV. sive CXXV. obitum eius referat, eum ego haud ita multum errare crediderim. Interitu autem eius Megaricorum etiam gloria exstincta esse videtur, quum rerum summa ad Stoicos modo exorientes rediret.

ALEXINUS.

Claudat denique agmen Alexinus, quem multis aliis interiectis ex Eubulidis disciplina prodiisse dicit Diogegenes L. II. 109. Disputator fuit acerrimus, quo factum est, ut, eleganti sane cognomine, Ἐλεγξῖνος nominaretur. Vehementissimae erant ei cum Zenone inimicitiae, quae Zenonis etiam ad familiares, praesertim ad Aristonem Chium, videntur redundasse. Alexinus periit in Alpheo, quum desertus a discipulis Olympiae novam instituere sectam cogitaret. Testis est Diog. L. II. 109.

Alexinus librum adversus Zenonem scripsit [3]. V. Diog. L. II. 110. Huic Aristo Chius, cuius exstabant tria etiam volumina πρὸς τοὺς διαλεκτικούς (Diog. L. VII. 163,) libro suo, πρὸς τὰς Ἀλεξίνου ἀντιγραφάς videtur respondisse. Stoici autem Alexini argutias perpetuo videntur perstrin-

---

1) Diog. L. IX. 61.

2) Diog. L. II. 120.

3) Paean eius in Craterum Macedonem laudatur ab Athen. XV. 16. p. 696. Cas.

xisse. Inde est, quod Plutarchus [1]) eis exprobrat, in captiosis interrogationibus velle eos *Χρύσιππον μὲν ὑπερεκπεπλῆχθαι, καταγελᾷν δὲ Ἀλεξίνου.* Plurimum enim eiusmodi artificiis valebat Alexinus. Aristotelem quoque vexavit. *Καταγέλαστα δ' εἰκότως εἶναι φαίη τις ἂν καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τὰ Ἀλεξίνου τοῦ ἐριστικοῦ· ποιεῖ γὰρ Ἀλέξανδρον παῖδα διαλεγόμενον τῷ πατρὶ Φιλίππῳ, καὶ διαπτύοντα μὲν τοὺς τοῦ Ἀριστοτέλους λόγους, ἀποδεχόμενον δὲ Νικαγόραν τὸν Ἑρμῆν ἐπικληθέντα.* Aristocles Peripat. apud Euseb. P. E. XV. 2. p. 474. R. St. Neque vero iniuria *ἐριστικοῦ* adhaesit ei appellatio; quare sunt, quibus ipse omnium primus ita dictus esse videatur, veluti Buhle, de Log. ante Aristot. in Comm. Gott. T. XI. p. 248. Verum id quidem secus est: eaque appellatio diu ante Alexinum coepta est usurpari.

ELIACI ET ERETRIACI.

Doctrinae similitudo causa est, quod Megaricis fere adiunguntur Eliaci et Eretriaci [2]). Quid quod Diodorus ipse Eretriacis annumeratur a Diog. L. IV. 33. Mentio horum philosophorum saepius iniicitur, apud Ciceronem de Or. III. 17. Acad. II. 42. Senecam Epist. 88, 36. alios. Sphaerus Bosporianus, Cleanthis auditor, scripserat *περὶ τῶν Ἐρετριακῶν φιλοσόφων.* Diog. L. VII. 178.

Princeps eius scholae est Phaedo Eleus, Socratis discipulus. Qui etiamsi nusquam commemoraretur, tamen a divino illo Platonis dialogo immortalitatem haberet [3]). Phaedo autem Socrati non adhortationem solum ad phi-

1) Plut. sens. comm. adv. Stoic. p. 1063. a. p. 336. Vol. V. 1. Wytt.

2) V. c. a Cic. Acad. II. 42. Strab. IX, 1. aliis.

3) Conf. Groen van Prinst. Prosopogr. Plat. p. 83.

losophiam, verum etiam libertatem debuit. Diog. L. II. 105. ib. Menag. Gell. N. A. II. 18. Macrob. Sat. I. 11. Suid v. *Φαίδων* [1].

Phaedonis duo exstabant, de quibus nemo dubitabat, dialogi: Zopyrus et Simo, et qui in dubium vocabantur quatuor: Nicias, Medius [2], Antimachus et Scythici sermones.

Excepit eum Plistanus Eleus, cuius praeter nomen nihil superest.

Sequitur Menedemus Eretriensis cum Asclepiade Phliasio. Atque Menedemus quidem natus est patre nobili, at egeno [3]. Megara quondam cum praesidio missus atque forte in Academiam delatus, continuo militiam deseruit. Tum autem Asclepiades amicus abduxit eum ex Academia ad Stilponem, quem deinde incredibiliter adamavit. Postea vero in Elidem navigans Archipyllum et Moschum convenit, Phaedonis assectatores, eorumque cum Asclepiade rationem ascivit. Ex quo ea secta Eliacorum appellationem cum nomine Eretriacorum commutavit. Ita fere Diog. L. II. 125. 126. Strabo L. IX, 1. p. 393. X, 1. p. 448. Cas. Minus igitur accurate Menedemus ipsius

---

1) Suidas: *τοῦτον συνέβη πρῶτον αἰχμάλωτον ὑπὸ Ἰνδῶν ληφθῆναι.* Ab Indis vero? Itane? In promptu est scribere cum A. Porto: *ὑπὸ λῃστῶν λ.* quae est usitata in his locutio. Exemplum praebet Aristot. Metaph. IV. p. 120, 29. Br. *λῃσταί* autem apud veteres sunt *piratae.* Valck. Anim. ad Ammon. III. 8. p. 194. Propius ad vulgatum accedit, quod mihi in mentem venit: *ὑπὸ Λινδίων ληφθῆναι.*

2) Si vera est lectio. V. Menag. ad h. l.

3) Postea Menedemus et Asclepiades noctu in pistrino molendo victum quaerebant. Athen. IV. 19. p. 168. a. Conf. de Menedemi coena Athen. X. 5. p. 419. f. Cas.

Phaedonis discipulus dicitur ab Ernestio et Schützio in Ind. Cic. hist.

Menedemus vir exstitit praeter ceteros gravis et moderatus. Quapropter in philosophia quoque nil magis aspernatus est, quam inanes sophistarum atque Alexini praestigias. Diog. L. II. 126. 134. 135. Etiam publicis implicatus est negotiis, quum legationibus ad Ptolemaeum, Demetrium, Lysimachumque Macedoniae reges fungeretur. Antigonus quoque Gonatas Macedoniae rex, quum legatus propter Oropum apud eum esset, tanti eum fecit, ut se eius discipulum praedicaret. Quae res Menedemum civibus suis suspectum reddidit. Jussus igitur est excedere patria. Profectus deinde cum uxore ac filiabus ad Antigonum, brevi ibi tempore moerore et inedia vitam finivit. Ita Euphantus et Antigonus Carystius, teste Diogene L. II. 141 sq.

Menedemi mortem Ol. CXXV, 4. accidisse censeo. Namque patriam liquit propter decretum, quod statim post Antigoni de Gallis victoriam [1]) in regis honorem Eretriae promulgarat. Quae apud Lysimachiam victoria obtigit Ol. CXXV, 3. a. C. n. 278. Male igitur Passovius [2]) Menedemum Socrati aequalem (Ol. LXXXXIV, 1.) ponit. At enim antiquus hic error est. Nam ipse ille Josephus Scaliger in hac re ita fallebatur, ut Eusebium vituperaret, satis bene Menedemum cum Speusippo commemorantem Ol. CXVI. Conf. Menag. ad Diog. L. II. 114. Haec propterea monui, quoniam »Scaligerana semper digna sunt, quae accuratius exigantur,« quae *Valckenarii* verba sunt, ad Herod. L. III. p. 207.

---

1) Diog. L. II. 141. 142.

2) Elem. hist. litt. Graec. et Lat. p. 14.

Menedemum et Asclepiadem non huius tantum scholae ultimos praeceptores, verum etiam omnium paene Socraticorum extremos existimarim. Scilicet universa huius aetatis sequentiumque temporum philosophia in partem iam venerat communis illius Socraticae hereditatis. Quid autem mirum, si varia ingenia variis temporibus a prima illa Socratis simplicitate et veritate magis magisque desciscerent [1]?

Atque hic quidem non possum quin conquerar temporum iniuriam, quae non solum discipulorum Megaricorum multitudinem et nomina pleraque, sed omnem quoque *διαδοχῆς* sive *consecutionis* horum philosophorum memoriam obliterarunt. Quae quidem res quo ad omnem antiquae philosophiae cognitionem utilior est atque iucundior, eo magis solet esse obscura atque difficilis. Nam Diogenis Laertii in his quum exigua fides tum nulla quoque diligentia est [2].

Quare age experiamur, an Megaricorum consecutionem nobis animo fingere et coniectura adumbrare possimus. Qua in descriptione ut multa incerta inesse sentio molestasque praesertim lacunas, ita hoc vel in primis dubium manet, semperne unus aliquis et quinam scholae praefuerit. Quae quidem res in reliquis etiam Socraticorum sectis, excepta Academia, parum solet constare. Accedit temporum incerta ratio, quae quum in paucissimis diserte tradita inveniatur, latissimus patet hic coniecturae campus. Nos autem quae potuimus dedimus, non ut voluimus, sed ut nos monumentorum inopia obscuritasque coegerunt.

---

1) Egregie Cic. de Or. III. 17. Acad. I. 4. ib. Davis. Ruhnken. Orat. de Graec. art. et doctr. inventr. p. 98. T. I. Opusc. ed. Lugd. alt.

2) Conf. Brandis. de Socr. doctr. in Mus. Rhen. I. p. 119.

MEGARICORUM SERIES.

A Socrate primum sunt:

Tempora.	Euclides.	Phaedo.	Antisthenes.
Ol. 95. a. C. n. 399.	Quos sequuntur: *Megarici.*	*Eliaci et Eretriaci.*	*Cynici et Stoici.*
Ol. 100.	*Eubulides. Ichthyas. Pasicles. Thrasymachus.*	*Plistanus.*	*Diogenes.*
		N.	
Ol. 110.	*Euphantus. N. Apollonius Cronus. Clinomachus. Stilpo.*		*Crates.*
Ol. 120.	*Alexinus. Diodorus Cronus. Bryso.*	*Menedemus. Asclepiades.*	*Zeno.*
Ol. 125.			
Ol. 130.	*Philo dialect.*		*Aristo. Cleanthes. Herillus.*
Ol. 135.			*Chrysippus.*

II.

MEGARICORUM DOCTRINA.

Θαῤῥεῖν χρὴ τὸν καὶ σμικρόν τι δυνάμενον εἰς τὸ πρόσθεν ἀεὶ προϊέναι.

Plato Soph. p. 261. b.

II.

Explicata igitur Megaricorum historia, iam quae doctrina eorum fuerit, videbimus. Qua quidem in re nobis tum demum aliquid effecisse videbimur, si aut ea solum attulerimus, quae ut Megaricorum decreta a nonnullis diserte laudantur, quae sunt sane perpauca; aut ea, quae apud alios, Platonem in primis et Aristotelem, reperta, iis haud temere tribuuntur. Manifestum autem est, plurimis iisque gravissimis unam alteramque rationem premi et impediri difficultatibus.

Doctrinam Megaricorum quo melius exponamus, *tres* eius partes faciamus, id quod res ipsa videtur flagitare. Quamvis enim summa eorum disciplina ab Euclide usque ad Stilponem una eademque manserit, sunt tamen inter singulos doctores discrimina quaedam haud sane praetermittenda. Prima ergo huius libelli pars aget de *Euclide*, et iis qui proxime eum secuti sunt, altera *Eubulidem* describet eiusque sophismata, tertia denique *Diodorum* tractabit et *Stilponem*, qui ut alias disciplinae partes accuratius explicuerunt, ita dialecticis eam ante omnia auxere rationibus.

I.

Atque primum quidem loquar de Euclide.

Philosophandi rationem triplicem, unam de vita et moribus, alteram de natura et rebus occultis, tertiam de disserendo et quid verum quid falsum sit, iam a Platone [1]) observatam videmus. Separatim autem Ethicam, Physicam, Dialecticam tractasse primus videtur Xenocrates [2]). Quare tripartitam hanc philosophiae divisionem apud Megaricos frustra quaesieris. Illud tantummodo superest, ut singula eorum, quae cognovimus, decreta examinemus atque ad scientiae deinde normam exigamus. Qua in re exordium faciendum est ab ea Euclidis sententia, quae a Diogene Laertio ut primaria ponitur.

Οὗτος καὶ τὰ Παρμενίδεια μετεχειρίζετο. — οὗτος ἓν τὸ ἀγαθὸν ἀπεφαίνετο πολλοῖς ὀνόμασι καλούμενον· ὁτὲ μὲν γὰρ φρόνησιν, ὁτὲ δὲ θεόν, καὶ ἄλλοτε νοῦν, καὶ τὰ λοιπά· τὰ δ' ἀντικείμενα τῷ ἀγαθῷ ἀνῄρει, μὴ εἶναι φάσκων.

Ita Diog. L. II. 106. Conf. L. VII. 161. de Aristone Chio:

ἀρετάς τε οὔτε πολλὰς εἰςῆγεν, ὡς ὁ Ζήνων, οὔτε μίαν πολλοῖς ὀνόμασι καλουμένην, ὡς οἱ Μεγαρικοί, ἀλλὰ καὶ τὸ πρός τι πὼς ἔχειν. κτλ.

Id quod a Cicerone confirmatur in Acad. II. 42.

---

1) Diog. L. III. 56. Cic. Acad. I. 5. ib. Davis. Appul. de habitud. doctr. Plat. I. p. 159. Vol. II. Bip. Schleierm. Introd. in Plat. p. 9.

2) Atticus apud Euseb. P. E. XI. 2. p. 299. R. Steph. Sext. Empir. Log. VII. 16. ib. Fabr. p. 373. Conf. *Wynpersse*, de Xenocrate (L. B. 1822.) p. 67. sqq.

»Megaricorum fuit nobilis disciplina, cuius, ut scriptum video, princeps Xenophanes, quem modo nominavi; deinde eum secuti Parmenides et Zeno; itaque ab his Eleatici philosophi nominabantur. Post Euclides Socratis discipulus Megareus; a quo iidem illi Megarici dicti: qui *id bonum solum esse dicebant, quod esset unum et simile et idem semper.* Hi quoque multa a Platone.«

Perspicuum igitur est, Euclidem unum tantum bonum posuisse, idque sibi perpetuo constans, atque ut ita dicam, *vere ens:* id autem diversis ei visum esse nominibus appellari; modo *φρόνησιν,* id est prudentiam, modo Deum, etiam *νοῦν,* id est mentem. Haec fere est utriusque loci sententia, nisi quod Diogenes Euclidem tantummodo Parmenidis doctrinam attigisse narrat, Cicero autem Xenophanem et Parmenidem diserte Megaricorum facit auctores. Quamobrem, quum Graecos auctores se ante oculos habuisse fateatur, reprehendi non potest [1]). Euclidem autem, quantumvis Eleaticae dialecticae amatorem, re vera tamen Socraticum semper fuisse, abunde constat. Verum ea res uberius explicanda est. Videmus enim Euclidem Parmenidea tractasse: quaerendum erit igitur, quo id pacto fecerit, quaeque inter Eleaticos atque Megaricos doctrinae similitudo aut affinitas omnino exstiterit.

Atque Parmenides quidem primum Entis notione ita omnia erat complexus, ut praeterea quidquam cogitari

1) Male hunc locum inspectum esse video a I. G. Buhlio in Comm. de Log. ante Aristot. in Comm. Gott. XI. 246. qui non solum Diogenem et Ciceronem confundit, sed pro *Parmenide* quoque apud Ciceronem laudat *Protagoram.* Nam non est quod putemus, eum in hac quidem re adhibuisse Aristotelem in Metaph. IX. p. 178, 13. Br.

posse negaret. Unum enim ponebat Ens, quo omnia continerentur, quodque ipsum partium simul et motus seu mutationis esset expers [1]. Cui Enti nihil opponi poterat contrarium, quoniam ipsum nullam cum quoquam comparationem admittebat. Quare quaecumque in eo non essent, *ea ne esse quidem* affirmabat, nihilque magis monebat cavendum esse, quam ne *εἶναι τὰ μὴ ὄντα* quis arbitraretur. Inde enim nasci omnem errorem omneque falsum. Dialecticae porro Parmenideae propositum erat, hanc Entis unitatem ubicumque explorare, contrariisque ex ipsis rerum notionibus remotis in summa luce commonstrare.

Socrates deinde sapientiae principium et fontem statuebat, nihil magnopere expetendum esse homini praeter *unum*, idque esse *cognitionem virtutis officiique*. Hanc enim esse summam Socratis rationem, *officium cum scientia coniunctum*, sive *λόγιον ἐπιστήμην* [2], apertum est ex Aristotelis Eth. Eud. I. 5. Idem Socratem omnes virtutes *φρονήσεις* appellasse, easque *λόγους* perhibuisse dicit, propterea quod *scientiae* essent. Aristot. Eth. Nic. VI. 13, 3. 5. III. 8, 6. Magn. Mor. I. 1. 35. Ita demonstratum est nuperrime a C. A. Brandis. de Socr. doctr. in Mus. Rhen. Iurispr. et Phil. I. p. 130. 141. sq.

Quid multa? Euclides a Socrate sententiam illam acceperat, virtutem esse unum bonum, eamque cognitione tantum et scientia contineri; eam demum esse veram *φρόνησιν*, prudentiam et rationem, *intemperantiam* vero *ne esse quidem*, quoniam nemo mala per se sciens

---

1) V. Plutarch. adv. Colot. s. 13. p. 554 sq. Vol. V. 7. Wytt.
2) Conf. Plat. Protag. p. 329. d. p. 361. b. Euthyd. p. 292. a. Diog. L. II. 31. Davis. ad Cic. Acad. II. 42.

expetat, nemo prudens peccet. Quam quum penitus probaret, proprio deinde eam suo, id est Eleatico, more modoque pronuntiavit: eaque quae Parmenides de Ente dixerat, ad Socraticum illud Unum transtulit. Euclidem autem Socratis rationem cum Parmenidea ita coniunxisse, varia ipsa nomina ostendunt, quibus summum illud bonum appellavit.

Primum est *φρόνησις, prudentia* 1). Hanc a Socrate in summo virtutum loco collocatam esse videmus. Similiter nihil a Platone tantopere celebratur, quam animus ex hac corporis contagione evolans ad aeternam rerum naturam ac veritatem, ubi omnia sunt simplicia et pura, nihil mutabile aut concretum. Nam, ut ait Socrates in Phaedone p. 79. d., *ὡς ξυγγενὴς οὖσα (ἡ ψυχὴ) αὐτοῦ ἀεὶ μετ᾽ ἐκείνου τε γίγνεται, ὅταν περ αὐτὴ καθ᾽ αὑτὴν γένηται καὶ ἐξῇ αὐτῇ· καὶ πέπαυταί τε τοῦ πλάνου, καὶ περὶ ἐκεῖνα ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως ἔχει, ἅτε τοιούτων ἐφαπτομένη, καὶ τοῦτο αὐτῆς τὸ πάθημα φρόνησις κέκληται* 2). Quid quod diviniorem 3) etiam naturam huic virtuti tribuere videtur. Antisthenis deinde cum Euclide quanta sit similitudo, in oculos incurrit. Is enim, germanissimus scilicet Socraticus, *virtutem unam* ponebat, *φρόνησιν ἢ ἰσχὺν*, prudentiam seu fortitudinem. Diog. L. VI. 13. 18. 104. Virtutem doceri posse aiebat, malum autem esse *ξενικόν*.

---

1) Cic. de Off. I. 43.

2) Add. eiusdem dial. p. 66. a. 68. a. 114. c. Phileb. p. 11. b. e. 28. d. 59. c. Rep. VI. p. 505. b.

3) Conf. de Rep. VII. p. 518. e. IX. p. 583. a. 585. c. 591. b. Legg. I. p. 631. c. Epinom. p. 977. a. vid. Appulei. de habitud. doctr. Plat. II. init. p. 175. Vol. II. Bip. Plat. Theaet. p. 176. b. Soph. p. 248. c. 249. c. 251. d. Men. p. 88. d. 97. b. Euthyd. p. 281. d. et qui reliqui sunt loci.

Quamobrem eum virtutem in *scientia* posuisse, malumque in recti ignorantia, coniicit Brandis. de Socr. doctr. p. 143. Posteriores quoque Stoici primas in virtutibus tribuebant φρονήσει (Diog. L. VII. 90.), Apollophanes adeo eam solam esse virtutem dixit. Diog. L. VII. 29. Similiter Ariston et alii. Plutarch. Rep. Stoic. 7. p. 215. de comm. notit. adv. Stoic. 16. p. 351 sq. Vol. V. 1. Wytt.

Apparet igitur, plane Socratis e mente bonum illud unum Euclidem appellasse φρόνησιν. Multo difficilius est, quod illud *Deum* etiam dixisse fertur. In quo aut Eleatas atque Parmenidem in primis secutus esse videtur, qui ἓν suum ὂν Deum quoque nominaverunt [1]), aut prudentiae illi, quae per se solaque bona est, divinam quandam vim inesse arbitratus est. Neque magis patet, cur *mentis* nomine unum illud nuncuparit. *Νοῦν* enim apud Socraticos duplici modo interpretari possumus. Primum quidem in homine mens est summa cogitandi atque intelligendi vis et facultas, quapropter a Platone reliquisque Socraticis praestantia eius summis saepe laudibus effertur. At divina quoque intelligentia, quae mundum regit ac gubernat, a Platone saepissime vocatur *νοῦς*. V. c. Phileb. p. 28. c. 30. d. Schleierm. Prooem. p. 133. Utram igitur mentem ab Euclide significari putabimus? —

Maiores etiam in hac re turbas excitat Baelius in Lexico. «Quid enim? inquit. Quomodo bonum unum esse potest, si idem est et Deus et Mens et Prudentia? Et prudentia intelligentiaque, quae hominis sunt, nihilne differunt a Deo? Suntne ei pares? Ingenue fateor, in his mihi Euclidem aut semet ipsum parum videri intellexisse, aut ab aliis male esse intellectum.» Ita Baelius fere (in Lex. crit. p. 414.),

1) Brandis. Comment. Eleat. I. p. 20.

qui addit etiam, sese in his vestigia agnoscere doctrinae nostrorum Theologorum de boni malique in mundo natura: parum autem abesse quin Euclides in eorum philosophorum grege numerandus esse videatur, qui Spinoza duce nullum Deum agnoscunt, nisi mundum et vim divinam per omnia pertingentem. Quem leniter tantummodo obiurgat Spaldingius (Vind. Meg. p. 4.) dicens, frustra eum in his laborare, utpote quae mere sint Eleatica. Quasi ita tantas componere lites fas esset! —

Ac sane — dicam enim quod sentio — turbatum aliquid esse videtur apud Diogenem. Id quod magis etiam manifestum erit comparato loco L. VII. 161., qui Megaricis nil nisi *unam virtutem* (ea autem est φρόνησις) *multis nominibus appellatam* videtur tribuere. Noster vero locus et Deum et Mentem et Prudentiam varias tantum appellationes *summae* illius *unitatis*, quae sola bona est, indicat esse. Quae coniunctio tam est aliena a Socratis doctrina, quam a Parmenidea dialectica: neque igitur cum aliqua veri similitudine in Euclidem cadere potest. Quin haec semina sunt *Pantheismi* potius, quem vocant, seriorum Platonicorum aut *Optimismi* recentiorum aliquot Theologorum, qui in eo mirifice solent aestuare, ut in omnibus, quaecumque sunt aut fiunt, rebus Boni naturam speciemve inesse ostendant.

Ab utrisque vero mirum quantum abhorret Euclides. Qui mihi ita potius videtur posuisse. Summum moralis doctrinae principium cum Platone *Boni speciem* esse docebat, quae perfectissima esset in divina mente, aut *ipse Deus*. Summum autem, quod dialectica sibi proposuerat, principium erat *Essentia*, ab omni generandi diversitate segregata. Utrumque igitur ita coniunxit, ut discidium omne negaret, quod aut Essentiam a summo bono, aut Unitatem ab Essentia, aut Deum denique ab alterutra separare videretur. Summum autem

bonum hominibus in vita esse existimabat *Prudentiam* illam Socraticam, qua ad divinam mentem proxime accederent. Idem porro bonum quatenus summam contineret cogitandi facultatem, *Mentem*, sive intelligentiam divinam in mundo ubicumque manifestam eumque agitantem (id enim est νοῦς ille divinior) appellari posse existimavit. Itaque Deus et mens et prudentia tantum abest, ut *tria* diversa principia esse videantur, ut haec vocabula propterea solum ab Euclide posita esse censeam, ut et unitas illa boni, quae est ipse Deus, et diversae, quibus ab hominibus percipitur atque cogitatur, rationes melius apparerent.

Quodsi haec reapse est Euclidis mens, male a Diogene eam esse explicatam, luce clarius est. Unum addam. Stoicis etiam, qui tam multa, et plura fortasse, quam hodie scimus, a Megaricis acceperunt, Deus ita definiebatur, ut eum Unum esse et intelligentiam et fatum, Iovemque dicerent: ἕν τε εἶναι θεὸν καὶ νοῦν καὶ εἱμαρμένην καὶ Δία, πολλαῖς τε ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι. Diog. L. VII. 135. ib. Menag.

Contraria deinde Enti illi uni Euclides dicitur sustulisse, eaque *ne esse quidem* dixisse. Perspicuum est, pertinere hoc ad rerum in mundo sensibili, ut ita dicam, varietatem. Iis ergo essentiam nullo modo tribuebat. *Videntur* enim tantummodo *esse*, propterea quod *fiunt* seu *generantur*, γίγνονται. In quo Eleaticum agnoscas. Quamquam neque Platonem ab ea doctrina videmus abhorrere. Vide modo Tim. p. 28. a. 48. a. Cic. Acad. I. 7. Plutarch. adv. Colot. 1114. f. p. 555. Vol. V. 1. Wytt. Quem intima quadam cum Parmenide cognatione coniungi, quis tandem infitiabitur? — Conf. Boeckhium V. C. in Philol. p. 42.

Habemus igitur summum Ethicae Megaricae principium. Virtutem enim unam ab Euclide fuisse positam, eamque φρόνησιν, quae aliquid divini in se haberet, atque scientia solum et cognitione esset adipiscenda, paene certum existimo. Quapropter ad cognitionem in primis, quae dialectica acquiritur, utpote quae sola scientia est τοῦ ὄντος [1]), mentem advertebat. Quae autem cognita homines haberent vera iustaque, ea deinde agendo effingere debebant, ita ut, quae in mente humana insideret boni omnibus numeris absoluti species, eius veritatem universa deinceps vita imitarentur. Inde concentus quidam omnium vitae actionum exsistebat, qui nil nisi bonum et honestum ex sese gigneret et proferret, omnesque homines monstrata, quam expeterent, boni specie excitaret.

Verum sentio me incerta coniecturae sequi vada, quare ad Euclidem revertamur.

Euclides igitur Dialecticae ante omnia operam dedit. Cuius principium a Parmenide ei traditum esse vidimus. Quod summo studio amplexus, ipsam de uno summo bono sententiam iccirco ita pronuntiasse videtur Euclides, ut omnia esse unum in ea potissimum re demonstraret, de qua omnes Socratis discipuli consentirent.

Socrates porro omnis disputationis duplicem inivit viam et rationem, ita ut *definitione* et *inductione* uteretur. V. Aristot. Metaph. XIII. 4. p. 266. conf. Brandis V. C. de Socr. doctr. in Mus. Rhen. I. p. 144 sqq. Quibus quis Euclidem usum esse dubitarit? Praesertim qui Socraticos quoque dialogos ediderit? — Verum non

---

1) Plat. Soph. p. 253.

acquievit in hac Socratica disputandi ratione, novasque induxit disserendi leges. Audiamus enim Diogenem.

Ταῖς τε ἀποδείξεσιν ἐνίστατο οὐ κατὰ λήμματα, ἀλλὰ κατ' ἐπιφοράν. Καὶ τὸν διὰ παραβολῆς λόγον ἀνῄρει, λέγων, ἤτοι ἐξ ὁμοίων αὐτὸν ἢ ἐξ ἀνομοίων συνίστασθαι. Καὶ εἰ μὲν ἐξ ὁμοίων, περὶ αὐτὰ δεῖν μᾶλλον, ἢ οἷς ὅμοιά ἐστιν, ἀναστρέφεσθαι· εἰ δ' ἐξ ἀνομοίων, παρέλκειν τὴν παράθεσιν. Diog. L. II. 107.

Qui locus propter brevitatem nonnihil obscuri habet. Nam quamquam haec ad rationes concludendas pertinere apertum est, singula tamen verba accuratius sunt interpretanda. Videndum igitur est, quid sint *ἀποδείξεις*, *λήμματα* et *ἐπιφορά*, quid deinde *λόγος* et *παραβολή*.

Atque *ἀπόδειξις* quidem Stoicorum est vocabulum: *ἀπόδειξιν — λόγον διὰ τῶν μᾶλλον καταλαμβανομένων τὸ ἧττον καταλαμβανόμενον περὶ πάντων* 1) (sc. *εἶναί φασιν*), quae sunt Diogenis 2) verba. Id quod Cicero Acad. II. 8. dicit: »*argumenti conclusio*, quae est Graece *ἀπόδειξις*, ita definitur: Ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit.« Similiter *λήμματα* et *ἐπιφορά* Stoicae sunt conclusionis partium appellationes. Quae quid significent, indicat Diogenes L. VII. 76. *λόγος δέ ἐστι τὸ συνεστηκὸς ἐκ λήμματος, καὶ προσλήψεως καὶ ἐπιφορᾶς. Οἷον ὁ τοιοῦτος· εἰ ἡμέρα ἐστί, φῶς ἐστιν· ἡμέρα δέ ἐστι· φῶς ἄρα ἐστί. Λῆμμα μὲν γάρ ἐστι τό, εἰ ἡμέρα ἐστί, φῶς ἐστι· πρόςληψις τό, ἡμέρα δέ ἐστιν· ἐπιφορὰ δὲ τό, φῶς ἄρα ἐστίν.* Conf. Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. II. 12. Davis. ad Cic. Acad. II. 8. Itaque *ἐπιφορά* id est, quod Aristoteles vocat *συμπέρασμα*. Conf. Kühn.

1) Davis. ad Cic. Ac. II. 8. emend. *παράσταντα*, quod mihi quidem non satisfacit.

2) L. VII. 45. ubi conf. Is. Casaub. et Menag.

ad Diog. L. VII. 76. Quibus omnibus me quidem fateor adductum, ut Aldobrandini probem huius loci interpretationem: »argumentorum conclusiones non sumptionibus, sed conclusionibus refellendis oppugnabat.« Quamquam acutissimas contra eam a Gassendio, de Log. cap. 3. p. 40. T. I. Opp. et Baelio in Lex. v. Euclide, rationes proferri concedo. Censent enim Euclidem in refellendis adversariis non sumptionibus, sed perpetua *conclusionum serie*, quarum altera semper ex altera penderet, esse usum: quas quum accumularet semper, rationibus ita eos obruisse, ut respondere non possent.

Quidquid est, id saltem patet, Euclidem artificiosis conclusionibus nectendis operam dedisse. Quo modo enim praeterea earum in aliis refutandarum praecepta dedisset, aut partibus earum nomina posuisset? Atque ea quidem nomina, quae Stoicis diu postea usitata esse videamus? Nam hos in dialectica quidem iam patet totos e Megaricis pendere. Habemus igitur in Euclide semina syllogisticae artis ante Aristotelem. Quamquam eum ipsum concludendi arti parum adhuc tribuisse manifestum est, quum in refutationibus sumptiones adversariorum negligeret fere, iis autem, quae inde colligerentur, praecipue animum intenderet.

Alterum praeceptum ad λόγον pertinet. Duplex autem est huius vocabuli apud Stoicos in logica vis. Aut enim *definitionem* significat, aut *rationem*, id est argumenti conclusionem [1]). Locos quidem laudare non est necesse, praesertim quum instar omnium sit Diog. L. VI. 3. ib. Is. Casaub. [2]). Euclidem ergo *definitiones*

1) v. Baguet. de Chrys. p. 69.

2) Add. Diog. L. VII. 76. 45. ib. Is. Casaub. et Menag. Add. Plutarch. Plat. Quaest. X. p. 108. Wytt: ἢ ὅτι πρῶτον λόγον οἱ παλαιοί, τὴν τότε καλουμένην πρότασιν, νῦν δὲ ἀξίωμα, προσηγόρευον.

arctioribus terminis astrinxisse arbitror, ita ut omnem comparationem (ea enim est παραβολή) in iis adhiberi vetaret. Non enim rerum similitudines, sed res ipsas esse demonstrandas. Id quod Socraticum simul esse et Parmenideum, in oculos incurrit. Ad eandem rem pertinet, quod Simplicius [1] ait, Megaricis placere, quorum diversi sint λόγοι, id est definitiones seu notiones potius, ea diversa esse, diversa autem coniungi non posse. In qua sententia Stilponem perseverare videbimus.

Parmenides porro unum Ens in sola mente inesse, nullamque sensuum esse in eo cognoscendo fidem statuebat. Induxit enim discidium inter mundum, quem vocant, νοητόν et mundum δοξαστόν [2]). Idem igitur Euclidem quoque probasse credibile est [3]). Sed quid sectamur veri similia, quum testimonia certa habeamus? Etenim Aristocles Peripateticus octavo de philosophia libro apud Eusebium P E. XIV, 17. p. 441. Rob. Steph ita ait: Ἄλλοι δ' ἐγένοντο τούτοις (Democritum et Aristippum significat) τὴν ἐναντίαν φωνὴν ἀφιέντες. οἴονται γὰρ δεῖν τὰς μὲν αἰσθήσεις καὶ τὰς φαντασίας καταβάλλειν, αὐτῷ δὲ μόνον τῷ λόγῳ πιστεύειν. Τοιαῦτα γάρ τινα πρότερον μὲν Ξενοφάνης καὶ Παρμενίδης καὶ Ζήνων καὶ Μέλισσος ἔλεγον, ὕστερον δὲ οἱ περὶ Στίλπωνα καὶ τοὺς Μεγαρικούς. ὅθεν ἠξίουν οὗτοί γε τὸ ὂν ἓν εἶναι καὶ τὸ μὴ ὂν ἕτερον εἶναι, μηδὲ γεννᾶσθαί τι μηδὲ φθείρεσθαι, μηδὲ κινεῖσθαι τὸ παράπαν. Quibus quid explicatius exploratiusve desiderabimus?

---

1) Ad Aristot. Phys. fol. 26.

2) Brandis. Comm. Eleat. I. p. 150 sqq. p. 174.

3) Spalding. Vind. Meg. p. 7.

Videmus itaque Euclidem atque Megaricos in dialecticae summa ab Eleatis omnino pendentes. Quodsi autem nihil mutabile aut motum vere esse arbitrati sunt, neque sensibus quidquam credendum aut dandum, longissime tamen a Scepticorum dubitationibus abhorrebant. Quin unum certe illud ὄντως ὄν firmum stabileque esse dicebant. Quamobrem reprehendendus est Seneca, qui diversissima sic confundit: »Nausiphanes [1]) ait, ex his, quae videntur esse, nihil magis esse, quam non esse. Parmenides ait, ex his, quae videntur, nihil esse in universum [2]). Zeno Eleates omnia negotia de negotio deiecit: ait *nihil esse*. Circa eadem fere Pyrrhonii versantur et Megarici et Eretrici [3]) et Academici, qui novam induxerunt scientiam, *nihil scire.*« Epist. LXXXVIII. p. 570. Lips.

Sed tempus est, ut *Schleiermacheri*, Viri Summi, acutissimam de Platonis loco coniecturam commemoremus. Nam in Sophista, quum de Entis et non Entis natura gravissime disputet Plato, id sibi videtur proposuisse, ut intimos philosophiae recessus, id est Entis cognitionisque coniunctionem, aperiret [4]). In ea

1) Democriteus, Pyrrhonisque familiaris. Cic. Nat. D. I. 26. ib. intpp. Diog. L. I. 15. IX. 102. X. 8. Sext. Emp. Math. I. 2. ib. Fabr. p. 215.

2) Male Lips. coniecit: u n u m e s s e u n i v e r s u m. Manud. Stoic. II. diss. 4.

3) Ita egregie Lips. pro vulg. *Critici*.

4) Vid. Schleierm. Prooem. Soph. p. 130. Quam rem etiamnunc a tot hominibus doctissimis parum intelligi, sane mirum est. In quibus etiam est G. *Groen van Prinsterer* in libello ceterum bonae frugis plenissimo, *Prosopographia Platonica*, Lugd. Bat. 1823, qui quae de Megaricis

autem quaestione cum Parmenide in primis ei res est, qui severissime ita praeceperat:

Οὐ γὰρ μή ποτε τοῦτο δαῇς, εἶναι μὴ ἐόντα,
ἀλλὰ σὺ τῆσδ' ἀφ' ὁδοῦ διζήμενος εἶργε νόημα [1].

Plato igitur omni ratione tentandum esse dicit, ut adversus Parmenidem vindicetur: *τό τε μὴ ὂν ὡς ἔστι κατά τι, καὶ τὸ ὂν αὖ πάλιν ὡς οὐκ ἔστι πῇ.* Soph. p. 241. e. Quare hospes ille Eleates, examinatis veterum philosophorum, Parmenidis, Empedoclis, Heracliti [2], de Ente sententiis, ita progreditur. *Τοὺς μὲν τοίνυν διακριβολογουμένους ὄντος τε πέρι καὶ μή, πάντας μέν ου διεληλύθαμεν· ὅμως δὲ ἱκανῶς ἐχέτω· τοὺς δὲ ἄλλως λέγοντας αὖ θεατέον, ἵν' ἐκ πάντων ἴδωμεν, ὅτι τὸ ὂν τοῦ μὴ ὄντος οὐδὲν εὐπορώτερον εἰπεῖν ὅ τι ποτ' ἐστί.* p. 246. a. Opponuntur igitur Eleatis et Ionicis, qui de industria et data opera Entis naturam tractarunt, *οἱ ἄλλως λέγοντες*, id est, qui *temere nulloque certo consilio* ea de re disputant. Vid. *Ruhnkenius* ad Tim. Lex. p. 199. In quo vocis *ἄλλως* usu explicando minus satisfacit Heind. ad h. l. p. 380. neque magis reliqui interpretes. Pergit deinde hospes, quid illi, qui temere de Ente disserant, sibi velint, exponere. Gigantomachiam enim tamquam inter ipsos exsistere, ingentesque de Essentia controversias. Nam esse nonnullos, qui nihil, nisi

---

videtur dicere velle (p. 75), ea nullo pacto mihi patiar persuaderi. Sed facem ei in hac quidem re palam praefert Ast. de P. V. et S. p. 54. coll. p. 239—41.

1) Vid. Plat. Soph. p. 237. a. ib. Heind. p. 347. Soph. p. 258. Aristot. Metaph. XIV. p. 294, 8. Br. Conf. Brandis. Comment. Eleat. I. p. 103. 106. 134.

2) Vid. Schleierm. Prooem. Soph. p. 135.

quod sensibus percipi ac paene manibus tractari possit, vere esse dicant, atque *σῶμα* et *οὐσίαν* unum idemque esse obstinate affirment. Quibus verbis Aristippum notari, comparato vel uno loco Theat. p. 155. e. planissimum est [1]). Tum idem ille hospes addit haec:

Τοιγαροῦν οἱ πρὸς αὐτοὺς ἀμφισβητοῦντες μάλα εὐλαβῶς ἄνωθεν ἐξ ἀοράτου ποθὲν ἀμύνονται, νοητὰ ἄττα καὶ ἀσώματα εἴδη βιαζόμενοι τὴν ἀληθινὴν οὐσίαν εἶναι· τὰ δὲ ἐκείνων σώματα καὶ τὴν λεγομένην ὑπ' αὐτῶν ἀλήθειαν κατὰ σμικρὰ διαθραύοντες ἐν τοῖς λόγοις, γένεσιν ἀντ' οὐσίας φερομένην τινὰ προσαγορεύουσιν, ἐν μέσῳ δὲ περὶ ταῦτα ἄπλετος ἀμφοτέρων μάχη τις, ὦ Θεαίτητε, ἀεὶ ξυνέστηκε. p. 246. b.

Haec igitur verba Schleiermacherus ad primos Megaricae scholae doctores pertinere censet. Vid. Proem. Soph. p. 134. sq. Eam coniecturam duplici argumento confirmat. Unum est, quod quamquam haec Parmenidea praecipue doctrina sit, essentiam a *γενέσει* prorsus esse disiungendam, tamen ea hoc loco aliis quibusdam philosophis tribui videatur, quibus, postquam Parmenides iam est dimissus, leniter, ut viventibus et familiaribus, Plato adversetur. Alterum est, quod vestigia quaedam appareant, Megaricos vel praeter dialecticam multa a Parmenide, adeoque haec ipsa assumpsisse. Quibuscum optime convenire, ait, quum intimam quandam huius doctrinae cum Platonica similitudinem, tum etiam illud adversus Democriti asseclas, Aristippumque bellum immane.

Hae fere sunt summi philosophi rationes, quas ego quum certissimae et ab omni parte munitae esse vide-

---

1) V. Schleierm. Prooem. Soph. p. 135. Prooem. Theaet. p. 183. Heind. ad h. l. p. 381.

antur, confirmatione egere non arbitror. Si quis autem auctoritatem praeterea scriptorum desideret, hanc quoque addere possumus. Quid enim? Illa apud Platonem *οὐσία* extra omnem corporis contagionem posita, quae mente sola cernitur, num differt ab eo, quod Aristoclem Eleatis et Megaricis adscribere antea vidimus, principio immoto? Verum optime ipse Plato in sequentibus eam rem confirmat. Nam Euclidem, quum unum tantum Ens poneret, eius contrarium (*ἀντικείμενον*) non esse docuisse scimus. Id discidium nostro hoc loco ita instituitur, ut *οὐσία* a *γενέσει* mutabili penitus disiungatur [1]). Ad *γένεσιν* quidem corpore nos pertinere per *αἴσθησιν*, animo vero et cogitatione, *λογισμῷ*, essentiae participes fieri, *ἣν ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως ἔχειν φατέ, γένεσιν δὲ ἄλλοτε ἄλλως.* Nonne haec ad verbum paene consentiunt cum Megarica summi boni definitione, quam supra e Cicerone [2]) cognovimus? Deinde quod aiunt hi philosophi, *τὴν τοῦ πάσχειν ἢ ποιεῖν δύναμιν* in generationem quidem cadere, numquam vero in essentiam, id ipsum ad eandem redit sententiam. Eam porro rationem ita evertit Plato, ut eiusmodi essentiam ne in cognitionem quidem nostram, quae *πάθος* quoddam recte dicatur, venire posse demonstret [3]). Addit deinde hospes: *Τί δαί, πρὸς Διός; ὡς ἀληθῶς κίνησιν καὶ ζωὴν καὶ ψυχὴν καὶ φρόνησιν ἦ ῥαδίως πεισθησόμεθα τῷ παντελῶς ὄντι μὴ παρεῖναι, μηδὲ ζῆν αὐτὸ μηδὲ φρονεῖν, ἀλλὰ σεμνὸν καὶ ἅγιον νοῦν οὐκ ἔχον ἀκίνητον ἑστὼς εἶναι;* Eodem modo neque ab his, qui omnia semper moveri statuant, quidquam posse cognosci [4]). Deinde

1) Soph. p. 248. a.
2) Acad. II. 42.
3) Soph. p. 248. e.
4) Soph. p. 249. c. add. Cratyl. p. 440. b. c.

ita concludit: *τῷ δὴ φιλοσόφῳ καὶ ταῦτα μάλιστα τιμῶντι πᾶσα, ὡς ἔοικεν, ἀνάγκη διὰ ταῦτα, μήτε τῶν ἓν ἢ καὶ τὰ πολλὰ εἴδη λεγόντων τὸ πᾶν ἑστηκὸς ἀποδέχεσθαι, τῶν δ' αὖ πανταχῇ τὸ ὂν κινούντων μηδὲ τοπαράπαν ἀκούειν, ἀλλά, κατὰ τὴν τῶν παίδων εὐχήν, ὅσα ἀκίνητα καὶ κεκινημένα, τὸ ὄν τε καὶ τὸ πᾶν, ξυναμφότερα λέγειν.* p. 249. d.

Quibus verbis haud scio an totius dialogi argumentum contineatur. Plato enim philosophi esse ait, neque iis se totum dare, quibus unum aut multae ideae videantur omnia, semperque immota, neque iis, qui omnia semper moveri statuant, sed *motum* aeque ac *quietem* esse ponendum. Ubi discrimen quoddam fieri videmus inter eos, qui unum Ens immotum dicant, et qui multas ideas immotas ponant, id est, inter Eleatas et Megaricos. Nam Platonem hic suam de Ideis doctrinam respicere, nemo cum Sochero iam, puto, opinabitur [1]. Verum haec quidem quaestio latius patet. Est enim hic omnium difficillimus de Ideis locus. Quid enim? Euclidem *unum* Ens posuisse vidimus: quo igitur pacto cum eo *εἴδη* illa *πολλά*, quae antea [2] iam commemorata sunt, conciliabimus? —

Obscura quaestio est, fateor; non ea tamen inexplicabilis. Nam quamquam dubitandum non est, quin ab omni motu, omnique generandi diversitate Euclides summum illud Ens segregarit, propterea quod unum sit, nequaquam tamen negavit, in varias illud aut innumeras partes ipsum esse dissolutum. Quae etiamsi ad res mutabiles atque motas minime pertineant, in mente tamen divina tamquam species sempiternae insideant. Haec est

1) Vid. Schleierm. Prooem. Soph. p. 134. conf. Socher. de Plat. script. p. 266.

2) Soph. p. 246. b. c. 248. a.

autem praecipua Platonis a Megaricis differentia, quod quas ipse aeternas rerum formas dixerat, unde res sensibiles essent expressae [1]), eas hi cum rebus mutabilibus nullo pacto coniungi putarent. Qua re adducor, ut Platonici quoque Parmenidis locum, quem Megaris fortasse Plato conscripsit [2]), ad Megaricorum de ideis doctrinam putem pertinere. Sic enim interrogat ibi Parmenides: *πότερον οὖν δοκεῖ σοι λον τὸ εἶδος ἐν ἑκάστῳ εἶναι τῶν πολλῶν ἓν ὄν, ἢ πῶς; Τί γὰρ κωλύει, φάναι τὸν Σωκράτην, ὦ Παρμενίδη, ἓν εἶναι; ἓν ἄρα ὂν καὶ ταὐτὸ ἐν πολλοῖς καὶ χωρὶς οὖσιν ὅλον ἅμα ἐνέσται, καὶ οὕτως αὐτὸ αὑτοῦ χωρὶς ἂν εἴη. Οὐκ ἄν, εἴ γε, φάναι, οἷον ἡ ἡμέρα μία καὶ αὐτὴ οὖσα πολλαχοῦ ἅμα ἐστὶ καὶ οὐδέν τι μᾶλλον αὐτὴ αὑτῆς χωρίς ἐστιν, οὕτω καὶ ἕκαστον τῶν εἰδῶν ἓν ἐν πᾶσιν ἅμα ταὐτὸν εἴη.* Dicit autem, quemadmodum dies, quae tamen una eademque perpetuo maneat, eodem tempore multis in locis sit, neque vero a se ipsa iccirco distet aut distrahatur, ita species quoque, quamvis in res varias dispersas et dissipatas, minime tamen dissolvi umquam, sed puras et a mutatione integras semper esse. Quam deinceps sententiam molli, quod aiunt, brachio Parmenides refutat. Quapropter iam Schleiermachero V. S. non tam Zenoni, quam Megaricis, haec de die imago tribuenda esse videbatur [3]).

Ac sane talia plura adhuc inventum iri apud Platonem arbitror, praesertim in Parmenide et Sophista, ubi Megaricorum praecepta universa et singula melius cognita habuerimus [4]). Quamquam hanc quoque simi-

---

1) Brandis. de perd. libb. Aristot. p. 32.

2) Schleierm. Prooem. Parm. p. 104.

3) Not. ad Parmen. p. 409.

4) Quod autem quidam, veluti Socher. de Plat. script. p. 291. Parmenidem dialogum Megaricis omnino ascribunt, id ne-

litudinum investigationem satis periculosam esse, Socheri ostendit coniectura, qui hos dialogos una cum Politico, propter nescio quas rationes, Megaricis omnino censet adiudicandos [1].

Quodsi igitur Euclidem Ideas posuisse putabimus; — putare autem debemus; — duplex iam quaestio restat. Quaeritur enim, quaenam harum idearum fuerit vis et natura, et quam cum Platonis ideis similitudinem habuerint, deinde autem an Euclidis etiam sectatores eam doctrinam arripuerint. Atque primum quidem nihil obscurius Megaricorum ideis inveniri posse puto. Nam de Platonis ideis sane parum scimus [2], deque Megaricis fere nihil. Nisi quod eas a corporibus remotas — *ἀσωμάτους* — nulloque modo motas dicit Plato, quamobrem neque vim efficientem eas habuisse, neque numeros fuisse dixerim. Neque magis, res varias *κατὰ μέθεξιν τῶν εἰδῶν*, ut fit apud Platonem [3], generatas fuisse, persuasum habeo. Aeternas potius veri iustique notiones, ab omni sensuum iudicio retrusas atque abditas, mentique divinae proprias, Ideas a Megaricis appellatas esse arbitror. Altera facilior est quaestio. Nam nihil idearum simile in Diodoro aut Stilpone relatum invenimus. Atqui Platonis quoque ideae iam a Xenocrate, ut ferunt [4], sublatae sunt: qui igitur Euclidis familia diutius eas conservarit? Haec fere sunt, quae ex hoc Sophistae loco expromere liceat. Quae quo ma-

---

mini placere posse censeo. Melius hac de re agit Ast. de vita et script. Plat. p. 239. 241. 248.

1) Socher. de Plat. script. p. 268 sq.

2) Brandis. de perd. Arist. libb. p. 32 sqq.

3) Aristot. Metaph. I, 7. p. 20. XIV, 4. p. 266. Br. Plat. Soph. p. 259. a.

4) Brandis. de perd. Aristot. libb. p. 46.

gis ad Megaricos spectare mihi persuasum est, eo magis de H. Rittero, viro doctissimo, subit mirari, qui in hoc loco de Heraclito interpretando ne deceptus fuerit, vereor. Vid. hist. sectae Ion. p. 92. coll. p. 97. Not. 5.[1]).

Quod autem dicebant Megarici, *non esse* ea, quae ab essentia sunt diversa, postea iterum Plato perstringit. Id enim agunt uberiores, quae in Sophista sequuntur, de *ταὐτῷ* et *θατέρῳ* disputationes. Etenim ex Platonis mente *sunt* etiam *τὰ ἀντικείμενα τοῦ ὄντος*; *sunt* *ἕτερον ἐκείνου* (Soph. p. 258. b.). Non ens igitur non est *negatio*, ut ita dicam, *entis* per se, sed *diversitas* tantum ab eo, quae tamen quodam modo sit eius particeps, necesse est[2]). Quo enim pacto aliter *esse* posset? Qua de re locupletissime disputat Plato in Soph. p. 258. d. et seq. Cuius argumentationis summa est haec: *Ens* etiam *non esse*, et *non Ens* quodam modo *esse* debere. Idque patefacere et illustrare videtur illa, quae in Parmenide extremo (p. 166. c.) obscurissime dicuntur. Similiter quae deinde (p. 259. e.) de rerum generibus non separandis ait Plato, ea pariter atque illa p. 251. c. ad Antisthenem potissimum reprehendendum dicta esse patet. Erant enim adolescentes quidam, senesque sero sapientes, inquit Plato, qui permagnum sibi reperisse viderentur, si dixerint, *ὡς ἀδύνατον τά τε πολλὰ ἓν καὶ τὸ ἓν πολλὰ εἶναι, καὶ δή που χαίρουσιν, οὐκ ἐῶντες ἀγαθὸν λέγειν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ μὲν ἀγαθόν, ἀγαθόν, τὸν δὲ ἄνθρωπον, ἄνθρωπον* [3]).

---

1) Schleiermacherum in hac re sequitur etiam G. Groen van Prinsterer, Prosopogr. Plat. p. 71. et Ast. de P. V. et S. p. 201.

2) Brandis. de perd. Arist. libb. p. 62.

3) Add. Soph. p. 260. b. p. 257. d. Parm. p. 142. a. 161. a. Theaet. p. 189. Cratyl. p. 429. c.

Verum extrema non Antisthenem solum, sed Megaricos quoque tangere, apertum est. Nam veteres illi sophistae, et cum illis Antisthenes, Gorgiae discipulus[1]), eo maxime delectabantur, ut *falsum*, id est, *non ens*, ne dici quidem posse demonstrarent. Hinc efficiebatur, neque mentiri posse quemquam, neque contra aliquid dicere. Omnia enim pari modo *erant*[2]). Haec sophistica doctrina, quum Antistheni, tum Megaricis etiam in deliciis videtur fuisse. Propria autem et peculiaris his fuit separatio generum singulorum, quam hoc loco Plato reprehendit.

Vides, quam mite Plato semper agat cum Euclide. Mansuetiores enim idearum amici, ut ait, ei videbantur[3]). Verum ea ipsa lenitas saepius facit, ut difficile sit affirmare, hoc illove loco Megaricos potissimum tangi. Quare in his cautissime erit agendum. Etenim reliqui sunt quidam eiusmodi loci. In his mihi quidem numerandum videtur, quod de Entis rerumque multarum vi et natura in Philebo p. 14 sq. dicitur. Non enim, inquit ibi Socrates, pervulgata iam illa de Uno et Multis persequemur, quae plerisque inenodabilia videri solent, sed alia longe exquisitiora. Significat autem id quaestionum genus, quod in Parmenide copiosissime tractatur[4]). Nunc autem, an quarumvis rerum unitates (*μονάδες*) ponendae sint, quaerit, eaeque utrum in rebus singulis insint, an unitas tota extra se ipsam, atque unitas tamen esse possit, *ὃ δή*, inquit, *πάντων ἀδυνατώτατον φαίνοιτ᾽ ἄν, ταὐτὸν καὶ ἓν ἅμα ἐν ἑνί τε καὶ πολλοῖς γίγνεσθαι. κ. τ. λ.* p. 15. b. 24. e. Versatur igitur Plato hoc loco in summa phi-

---

1) Diog. L. VI. 1.

2) Aristot. Metaph. IV. p. 119. Br.

3) Soph. p. 246. c.

4) V. c. Parm. p. 129. b.

losophia tum sua tum Megaricorum exponenda. Conf. de Rep. V. p. 476. a. VI. p. 509. b. Addit deinde antiquorum rationem, ex Uno et Multis sive numeris omnia constituendi, quae a Pythagoreis videtur esse desumpta [1]); ita demum unius atque infiniti, sive ἀπείρου, naturam recte cognosci, si quis *numeros* bene perceperit. *Οἱ μὲν οὖν θεοί, ὅπερ εἶπον, οὕτως ἡμῖν παρέδοσαν σκοπεῖν καὶ μανθάνειν καὶ διδάσκειν ἀλλήλους· οἱ δὲ νῦν τῶν ἀνθρώπων σοφοὶ ἓν μέν, ὅπως ἂν τύχωσι, καὶ πολλὰ θᾶττον καὶ βραδύτερον ποιοῦσι τοῦ δέοντος, μετὰ δὲ τὸ ἓν ἄπειρα εὐθύς, τὰ δὲ μέσα αὐτοὺς ἐκφεύγει, οἷς διακεχώρισται τό τε διαλεκτικῶς πάλιν καὶ τὸ ἐριστικῶς ἡμᾶς ποιεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους τοὺς λόγους.* Phileb. p. 17. a. add. p. 26.

Commendat igitur Plato in his suam rationem, qua Ideae cum rebus infinitis, id est mutabilibus, coniunguntur in ἀορίστῳ, quam vocant, δυάδι, ita ut *ideae sint numeri* [2]). Quam coniunctionem ab Euclide neglectam esse, vidimus. Nullam enim unitatis eiusque idearum atque rerum varietatis copulationem fecerat. Ea autem fieri debebat per μέσα illa, id est numeros, quos hoc quidem loco praedicari videmus. Quare equidem inclino ad eam opinionem, hic quoque Megaricos significari. Atqui Schleiermacherus V. C. iam vidit, haec ad Sophistam referri: quidni tum eosdem etiam putemus hac argumentatione, atque in Sophista, adversarios impugnari?

---

1) Schleierm. Prooem. Phileb. p. 130.

2) Brandis. de perd. Aristot. libb. p. 34. Add. *F. A. Trendelenburgii* libellum, qui incribitur: *Platonis de Ideis et de numeris doctrina ex Aristotele illustrata.* Lips. 1826. in primis p. 92 sq.

Ac sentio equidem, in his rebus augendo loca, augeri etiam difficultates. Quis enim credat, fieri posse, ut ubique Platonis mentem recte assequamur? Unus tamen locus addendus est.

Theaeteti argumentum versatur in discrimine inter scientiam veramque opinionem diiudicando. Tum multis diversisque rationibus allatis, ita Theaetetus: ὅ γε ἐγώ, ὦ Σώκρατες, εἰπόντος του ἀκούσας ἐπιλελήσμην, νῦν δ' ἐννοῶ· ἔφη δὲ, τὴν μὲν μετὰ λόγου ἀληθῆ δόξαν ἐπιστήμην εἶναι, τὴν δὲ ἄλογον ἐκτὸς ἐπιστήμης· καὶ ὧν μὲν μή ἐστι λόγος, οὐκ ἐπιστητὰ εἶναι, οὑτωσὶ καὶ ὀνομάζων, ἃ δ' ἔχει, ἐπιστητά. Theaet. p. 201. c.

Hanc igitur scientiae definitionem unaque usum vocabuli ἐπιστητά Schleiermacherus V. S. a Megaricis profectum esse arbitratur [1]. Quod mihi quidem, pace viri summi dixerim, parum esse videtur probabile. Quid enim? Nonne omnes Socratici acerrime inter ἐπιστήμην et δόξαν distinguebant [2]? Et unum Euclidem ab hac severitate recessisse putabimus, quo nemo manifestius *vere entis* vim indissolubilem ab omni mutationis sensusque varietate vindicasse videatur? — Omnis autem *opinio*, ex Platonis quidem mente [3]), ad sensus referatur, necesse est. Deinde etiam contrarium in se continere sibique ipsam repugnare illam difinitionem, illo, quod sequitur, somnio de rerum elementis non cognoscendis, quae ex sese complexiones (συμπλοκάς) cognoscendas aut vera opinione comprehendendas gignant, a Platone satis videtur esse demonstratum. Qui enim

1) Not. ad Theaet. p. 520.

2) V. Brandis de Socr. doctr. p. 140.

3) Plat. Theaet. Men. p. 97. Phileb., p. 59.

fieri potest, ut λόγος insit in ea re, quae nullam in se habet rationem? Tale autem est omne sensuum iudicium e Socratis, Platonis, etiam Euclidis mente. Vid. Theaet. p. 185. c. 186. e. 202. a. c. 210. a. Quapropter Euclidem scientiam ab opinione quidem prorsus diiunxisse, res ipsa loquitur: unde sentio fore, ut in idearum eam cognitione cuiquam posuisse videatur. Quamquam certum nemini in hac quidem re scire adhuc contigit.

Aristoteles deinde, quid de summa Megaricorum doctrina senserit, etiamsi explicate nusquam dicat, apertum tamen est ex permultis, quibus Eleatas impugnat, argumentis. Quae quidem enumerare nihil attinet [1]. Sunt tamen loci, qui Megaricos propius spectare videantur. Eiusmodi est Phys. Ausc. I. 2. fin. p. 254. Cas. *Ἐθορυβοῦντο δὲ καὶ οἱ ὕστερον, καθάπερ οἱ ἀρχαῖοι ἵ μή ποτε συμβαίνῃ αὐτοῖς ἅμα τὸ αὐτὸ ἓν εἶναι καὶ πολλά. διὸ οἱ μὲν τὸ ἔστιν ἀφεῖλον, ὥςπερ Λυκόφρων· οἱ δὲ τὴν λέξιν μετεῤῥύθμιζον, ὅτι ὁ ἄνθρωπος οὐ λευκός ἐστιν, ἀλλὰ λελεύκωται, οὐδὲ βαδίζων ἐστίν, ἀλλὰ βαδίζει· ἵνα μὴ τὸ ἔστι προςάπτοντες, πολλὰ εἶναι ποιῶσι τὸ ἕν, ὡς μοναχῶς λεγομένου τοῦ ἑνὸς ἢ τοῦ ὄντος. πολλὰ δὴ τὰ ὄντα, ἢ λόγῳ· οἷον ἄλλο τὸ λευκῷ εἶναι καὶ μουσικῷ, τῷ δ' αὐτῷ, ἄμφω· πολλὰ ἄρα τὸ ἕν· ἢ διαιρέσει, ὥςπερ τὸ ὅλον καὶ τὰ μέρη· ἐνταῦθα δὲ διηπόρουν καὶ ὡμολόγουν τὸ ἓν πολλὰ εἶναι· ὥςπερ οὐκ ἐνδεχόμενον τὸ αὐτὸ ἓν καὶ πολλὰ εἶναι, μὴ τὰ ἀντικείμενα δέ. ἔστι γὰρ τὸ ἓν καὶ δυνάμει καὶ ἐντελεχείᾳ.* Conf. Metaph. III. 7. p. 84. Br. ubi similia argumenta ut *ἐριστικοὶ λόγοι* lau-

---

1) Plurima huiusmodi leguntur Phys. ausc. L. I. 2. 3. 6. Metaph. III. p. 62. VII. p. 61. Br. de Gen. et Corr. I. 8. all.

dantur. Quae appellatio, quibusnam ea sint tribuenda, abunde videtur indicare. Significat enim Aristoteles Antisthenem eiusque asseclas [1], in quibus fortasse est etiam ille Lycophron, id quod apparet ex iis quae Metaph. IV, 29. p. 119. et L. VIII. 3. p. 169. Br. dicuntur [2]. At non solum Antisthenes ita genera coniungenda separavit. Megaricorum etiam ea ratio fuit. Qua de re postea videbimus.

Partes autem orationis duas tantummodo cogitari posse, nomen atque verbum, quae copula non egeant, ea communis non solum Platonis primorumque illorum, sed posteriorum quoque dialecticorum est doctrina. Sic Priscianus [3] ait: partes orationes sunt, secundum dialecticos, duae: *nomen* et *verbum*, quia hae solae etiam per se coniunctae plenam faciunt orationem. Et Appuleius [4]: ceterum et propositio, ut ait in Theaeteto Plato, duabus paucissimis (l. paucissimum) orationis partibus constat, nomine et verbo: unde quidam rati sunt, has duas solas orationis partes esse, quod ex iis solis fieri possit perfecta oratio, id est, quod abunde sententiam comprehendant. Plutarch. Quaest. Plat. X. *διὰ τί Πλάτων εἶπε τὸν λόγον ἐξ ὀνομάτων καὶ ῥημάτων κεράννυσθαι; Δοκεῖ γὰρ πάντα πλὴν δυεῖν τούτων τὰ μέρη τοῦ λόγου μηθέν·* et paulo post: *ἀξίωμα δὲ ἐξ ὀνόματος καὶ ῥήματος συνέστηκεν, ὧν τὸ μὲν, πτῶσιν οἱ διαλεκτικοί, τὸ δὲ κατηγόρημα καλοῦσιν.* p. 108. Vol. V. 1. Wytt.

Multo manifestior est res apud Aristot. Phys. ausc.

---

1) Minime enim cum Trendelenburgio l. c. p. 25. ad Platonem Xenocratemque haec retulerim.

2) Coll. Metaph. VII. 6. p. 138. Plat. Soph. p. 252. b.

3) Priscian. Ars Gramm. II. 4, 15. p. 66. Krehl.

4) Appulei. de hab. doctr. Plat. III. p. 203. Bip. Vol. II.

I. 9. p. 261. Cas. Ubi commemorat primum suum illud inter *δύναμιν* et *ἐνέργειαν* discrimen, quo difficilis, unde gignantur quaelibet, quaestio solvatur, deinde eam rem ita persequitur: *τοῦτο δ' ἐν ἄλλοις διώρισται δι' ἀκριβείας μᾶλλον*[1]· *ὥςϑ', ὅπερ ἐλέγομεν, αἱ ἀπορίαι λύονται, δι' ἃς ἀναγκαζόμενοι ἀναιροῦσι τῶν εἰρημένων ἔνια· διὰ γάρ τοι τοῦτο τοσοῦτον οἱ πρότερον*[2] *ἐξετράπησαν τῆς ὁδοῦ τῆς ἐπὶ τὴν γένεσιν καὶ φϑοράν, καὶ ὅλως μεταβολήν. αὕτη γὰρ ἂν ὀφϑεῖσα ἡ φύσις ἅπασαν ἔλυσεν αὐτῶν ταύτην τὴν ἄγνοιαν. Ἡμμένοι μὲν οὖν καὶ ἕτεροί τινές εἰσιν αὐτῆς, ἀλλ' οὐχ ἱκανῶς· πρῶτον μὲν γὰρ ὁμολογοῦσιν ἁπλῶς γίγνεσϑαί τι ἐκ μὴ ὄντος, ᾗ Παρμενίδην ὀρϑῶς λέγειν· εἶτα φαίνεται αὐτοῖς, εἴπερ ἐστὶν ἀριϑμῷ μία, καὶ δυνάμει μόνον μίαν εἶναι. τοῦτο δὲ διαφέρει πλεῖστον· ἡμεῖς μὲν γὰρ ὕλην καὶ στέρησιν ἕτερον εἶναι φαμέν· κ. τ. λ.* Conf. de Gen. et Corr. I. 1. 2. Metaph. X. p. 246. Br. Ubi, qui laudantur Parmenidis sectatores, qui generationem ad non Ens referant, materiamque Entis privationem dicant, qui denique *ἐνέργειαν* confundant cum *δυνάμει*, quis non videt, eos palam esse Megaricos?

Eam autem, quae legitur de Gen. et Corr. I. 8. adversus illos, qui vacuo prius sublato multum omnino esse non posse, sed unum tantum, doceant, argumentationem, ad Zenonem magis et Melissum, quam ad Megaricos refellendos pertinere puto. Quapropter nemini auctor sim, ut iis, quae ibi de eo, quod unum et immotum sit universum, disputantur, commotus, Megaricorum continuo iniici mentionem statuat. Paullo manifestior res est in Metaph. X. p. 257. Br. *Καίτοι ἐν*

---

1) In libris de gen. et corrupt., opinor.

2) Id est, Eleatae.

ἅπασι τὸ μάλιστα ἀγαθὸν ἀρχή. οἱ δὲ τοῦτο μὲν ὀρθῶς, ὅτι ἀρχήν, ἀλλὰ πῶς τὸ ἀγαθὸν ἀρχή, οὐ λέγουσι, πότερον ὡς τέλος, ἢ ὡς κινῆσαν ἢ ὡς εἶδος. At nullum dubium est, quin Euclides aeque ac Plato 1) designetur in Metaph. XIV. 4. p. 301. τοῦτο δὲ ποιοῦσιν εὐλαβούμενοι ἀληθινὴν δυςχέρειαν, ἣ συμβαίνει τοῖς λέγουσιν, ὥςπερ ἔνιοι, τὸ ἓν ἀρχήν· ἔστι δ' ἡ δυςχέρεια οὐ διὰ τὸ τῇ ἀρχῇ τὸ εὖ ἀποδιδόναι ὡς ὑπάρχον, ἀλλὰ διὰ τὸ τὸ ἓν ἀρχὴν ὡς στοιχεῖον, καὶ τὸν ἀριθμὸν ἐκ τοῦ ἑνός. — τῶν δὲ τὰς ἀκινήτους οὐσίας εἶναι λεγόντων οἱ μέν φασιν αὐτὸ τὸ ἓν τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ εἶναι· οὐσίαν μέντοι τὸ ἓν αὐτοῦ ᾤοντο εἶναι μάλιστα.

Hactenus quidem de Euclidis doctrina.

II.

EUBULIDES.

Venio nunc ad celeberrimas illas captiosarum interrogationum formulas. Quas ab Eubulide plerasque esse inventas, testis est Diogenes:

Τῆς δ' Εὐκλείδου διαδοχῆς ἐστι καὶ Εὐβουλίδης ὁ Μιλήσιος, ὃς καὶ πολλοὺς ἐν διαλεκτικῇ λόγους ἠρώτησε, τόν τε ψευδόμενον καὶ τὸν διαλανθάνοντα, καὶ Ἠλέκτραν, καὶ ἐγκεκαλυμμένον, καὶ σωρείτην, καὶ κερατίνην, καὶ φαλακρόν.

Diog. L. II. 108. Add. Cic. Acad. II. 24.

Sunt igitur septem sophismata, quae ad Eubulidem potissimum referuntur. Quorum rationes, quum Menagii diligentia paene exhaustae esse videantur, nobis quidem iam hac de re otium factum foret, nisi iuvaret, quasi per transennam praetereuntes aspicere decantata

---

1) Brandis. de perd. Arist. libb. p. 66.

illa quondam artificia. Quare ea deinceps ordine ponemus.

1. *ψευδόμενος*.

Cic. Acad. II. 29. ib. Davis.

Si te mentiri dicis, idque verum dicis, mentiris, an verum dicis? — Haec scilicet inexplicabilia esse dicitis.

Add. Cic. Div. II. 4. Fragm. Hortens. apud Non. v. Increpo, T. XVI. 2. p. 106. Schütz. Gell. N. A. XVIII. 2. Theophrastus tres libros edidit *περὶ τοῦ ψευδομένου* (Diog. L. V. 49), Chrysippus autem duodecim, quos enumerat Diog. L. VII. 196 sq. Vid. *Baguet.* de Chrysippo, p. 140.

Meminit Aristoteles quoque huius argumenti, Eth. Nicom. VII. 3. Dicit, peccari saepe invite et imprudenter. — *ἔτι, ὁ σοφιστικὸς λόγος ψευδόμενος ἀπορία· διὰ γὰρ τὰ παράδοξα βούλεσθαι ἐλέγχειν, ἵνα δεινοὶ ὦσιν, ὅταν ἐπιτύχωσιν, ὁ γενόμενος συλλογισμὸς ἀπορία γίνεται· δέδεται γὰρ ἡ διάνοια, ὅταν μένειν μὲν μὴ βούληται, διὰ τὸ μὴ ἀρέσκειν τὸ συμπερανθέν, προϊέναι δὲ μὴ δύναται, διὰ τὸ λῦσαι μὴ ἔχειν τὸν λόγον.*

Elench. Soph. XXV, 3. p. 617. Buhle.

Ὁμοίως δὲ ὁ λόγος καὶ περὶ τοῦ ψεύδεσθαί τι τὸν αὐτὸν ἅμα καὶ ἀληθεύειν· ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ εἶναι εὐθεώρητον, πότερον ἂν τις ἀποδοίη τὸ ἁπλῶς ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι, δύςκολον φαίνεται· κωλύει δ' αὐτὸν οὐδέν, ἁπλῶς μὲν εἶναι ψευδῆ, πῇ δὲ ἀληθῆ ἤ τινός· ἢ εἶναι ἀληθῆ τινα, ἀληθῆ δὲ μή.

Vides iam, quid sibi velit Seneca Epist. 45. p. 458. Lips: Quid me detines in eo, quem tu ipse *ψευδόμενον* appellas, de quo tantum librorum compositum est? Ecce tota mihi vita mentitur: hanc coargue, hanc ad verum, si acutus es, redige.

Lepidum est Philetae apud Athen. IX. 14. p. 401. e. C as epitaphium:

> *Ξεῖνε Φιλητᾶς εἰμί· λόγος ὁ ψευδόμενός με*
> *ὤλεσε, καὶ νυκτῶν φροντίδες ἑσπέριοι.*

Plura vide apud Menag. ad Diog. L. II. 108. *Wyttenb.* ad Plutarch. de recta aud. rat. p. 43. c. T. I. p. 370. et *Baguet.* de Chrysippo, p. 140.

2. *διαλανθάνων*, quicum coniungimus *διαλεληθότα* et *ἐγκεκαλυμμένον.*

Luciani Vit. auct. 22. p. 563. T. I. Hemsterh.

Chrysippus loquitur: *Τὸν δ' αὖ ἐγκεκαλυμμένον καὶ πάνυ θαυμαστὸν ἀκούσῃ λόγον· ἀπόκριναι γάρ μοι, τὸν πατέρα οἶσθα τὸν σεαυτοῦ; Ἀγοραστής· ναί. Χρύσιππος· τί οὖν; ἤν σοι παραστήσας τινὰ ἐγκεκαλυμμένον ἔρωμαι, τοῦτον οἶσθα; τί φήσεις; Ἀγορ. δηλαδή, ἀγνοεῖν. Χρύσ. ἀλλὰ μὴν αὐτὸς οὗτος ἦν ὁ πατήρ ὁ σός· ὥςτε εἰ τοῦτον ἀγνοεῖς, δῆλος εἶ τὸν πατέρα τὸν σὸν ἀγνοεῖν.*

Etiam de *ἐγκεκαλυμμένῳ* duo exstabant Chrysippi libri. Diog. L. VII. 198. Baguet. de Chrys. p. 143 [1]). Mentio huius sophismatis est apud Aristot. Elench. Soph. XXIV. 2. p. 610. Buhle.

Haud equidem scio, an simile quid in mente habuerit. Plato, Theaet. p. 165. b. ubi Socrates: *λέγω δὴ τὸ δεινότατον ἐρώτημα· ἔστι δέ, οἶμαι, τοιόνδε τι· ἆρα οἷόν τε, τὸν αὐτὸν εἰδότα τι, τοῦτο, ὃ οἶδε, μὴ εἰδέναι;* —

---

1) Chrysippi *περὶ τοῦ διαλεληθότος* librum Baguet. l. c. p. 147. cum Wyttenb. ad Plutarch. de sent. prof. in virt. p. 556. Vol. II. de sapiente potius, qui non sentiat, se esse iam sapientem, quam de notissima argumentatione, egisse censet.

3. Ἠλέκτρα.

Luciani Vit. auct. l. c.

Ἠλέκτραν μὲν ἐκείνην, τὴν πάνυ τὴν Ἀγαμέμνονος, ἣ τὰ αὐτὰ οἶδέ τε ἅμα καὶ οὐκ οἶδε· παρεστῶτος γὰρ αὐτῇ τοῦ Ὀρέστου ἀγνῶτος, οἶδε μὲν Ὀρέστην, ὅτι ἀδελφὸς αὐτῆς· ὅτι δὲ οὗτος Ὀρέστης, ἀγνοεῖ.

4. σωρείτης.

Diog. L. VII. 82. ib. Is. Casaub.

Ἔστι δὲ ἐγκεκαλυμμένος * * * 1) (f. ὁ δὲ σωρείτης ἐστὶν) οἷον ὁ τοιοῦτος· οὐχὶ τὰ μὲν δύο ὀλίγα ἐστίν, οὐχὶ δὲ καὶ τὰ τρία, οὐχὶ δὲ καὶ ταῦτα μέν, οὐχὶ δὲ καὶ τέσσαρα, καὶ οὕτω μέχρι τῶν δέκα· τὰ δὲ δύο ὀλίγα ἐστί, καὶ τὰ δέκα ἄρα.

Nomen desumptum est ab acervo tritici, qui granatim exstruitur. Vid. Cic. Acad. II. 29. unde *acervalem* eum appellat, de Divin. II. 4. Acad. II. 16. »Cum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur, soritas hoc vocant, quia acervum efficiunt uno addito grano. Vitiosum sane et captiosum genus.« Seneca de Benef. V. 19. »Sorites ille inexplebilis, cui difficile est modum imponere, quia paullatim surrepit et non desinit serpere.« Vid. Horat. II. Epist. I. 47. Pers. Sat. VI. 78. ib. Casaub. 2).

Chrysippus edidit libros tres *περὶ τῶν πρὸς τὰς φωνὰς σωρειτῶν λόγων*. Diog. L. VII. 192. V. Baguet. de Chrys. p. 133. sq.

5. κερατίνης.

Diog. L. VII. 187. de Chrysippo.

Εἴ τι οὐκ ἀπέβαλες, τοῦτο ἔχεις· κέρατα δὲ οὐκ ἀπέβαλες· κέρατα ἄρα ἔχεις· οἱ δὲ Εὐβουλίδου τοῦτό φασιν.

---

1) Excidit Velati formula. Nam, quae sequitur, Soritae est descriptio. Vid. Casaub.

2) Stoici Soritam appellant *τὸν παρὰ μικρὸν λόγον*. v. Baguet. de Chrys. p. 141.

Atque recte quidem. Nam hoc sophisma Aristoteles iam respicit Elench. Soph. XXII. 3. p. 604. Buhle. Add. Gell. N. A. XVI. 2. et Diog. L. VI. 39. de Diogene Cynico: *πρὸς τὸν συλλογισάμενον, ὅτι κέρατα ἔχει, ἁψάμενος τοῦ μετώπου, ἐγὼ μέν, ἔφη, οὐχ ὁρῶ· ὁμοίως καὶ πρὸς εἰπόντα, ὅτι κίνησις οὐκ ἔστιν, ἀναστὰς περιεπάτει.* Utrumque vero disputatorem Megaricum fuisse crediderim. Eamdem porro captionem simul et Diogenis refutationem in animo habet Seneca Epist. 45. ibi Lips. p. 458.

6. De *φαλακρῷ* nihil admodum scimus. Eius tamen Menagius exemplum tale finxit: »qui non habet pilos in capite, calvus est; rasus non habet pilos in capite; ergo rasus calvus est.« Quod mihi quidem parum videtur esse aptum. Quare soritae potius genus aliquod, quod in capillo magis minusve raro versaretur, ita nominatum esse censuerim.

Haec fere sunt notissima illa antiquorum dialecticorum artificia, quae quot eruditissimis etiam hominibus negotia exhibuerint, satis apparet. Si quis enim eiusmodi interrogationibus semel erat implicatus, tamquam verborum quibusdam vinculis irretitus undique ita tenebatur, ut non nisi abiecta universa argumentatione e laqueis sese posset expedire. Et haec sententia, e verbis mendacium et errorem aeque exsistere atque verum certumque, si quis ea per se spectet, mihi quidem has interrogationes videtur peperisse. Sunt eae igitur tamquam crepundia dialecticae sibi ipsi proludentis, quibus ante omnia vana scientiae opinio removeatur. Monent enim, ut ne rerum affectiones fortuitas, essentiam earum esse putemus; id quod *ψευδόμενος* et *ἐγκεκαλυμμένος* in primis agunt; accuratasque praesertim et universam rem complectentes definitiones commendant, ut sorites. Ante omnia autem *conclusionum*, quas vocant, *hypotheticarum* veritati, utpote quibus nil magis Megarici vi-

dentur excoluisse, maximam ostendunt curam atque diligentiam esse adhibendam. Atque eiusmodi quidem sunt Electra et Cornutus. Idem ego causae fuisse censeo, ut tam cupide Stoici a Megaricis cum plerisque eorum praeceptis logicis etiam has captiones arriperent. Quantopere autem iis delectati, quam assidue usi sint, perspicuum est cum e Cicerone tum e Diogene L. VII. 44. Add. Plutarch. Repugn. Stoic. p. 1036. p. 244. Wytt. et Seneca Epist. 45. p. 458. Lips. Lucian. vit. auct. l. c.

Verum Platoni has disputandi lites magnopere improbatas fuisse, locupletissimum exstat documentum. Est enim hoc praeclarum Schleiermacheri [1]) V. C. inventum, scriptum esse Euthydemum ad rixas potissimum Antistheneorum et Megaricorum ridendas atque coercendas. Cuius argumentis haud scio an nefas sit, diffidere. Mihi certe firma visa sunt. Difficile autem est indicare, quaenam ex plurimis Euthydemi et Dionysodori sophismatis Megaricis potissimum sint tribuenda. Neque vero id magnopere refert, dummodo de dialogi summa constet. Eam vero huc spectare, egregie patet quum hinc, quod virtutem sese docere hi magistri pollicentur [2]), si modo respondere adolescentulus velit [3]), quod et Antistheneum est et Megaricum, tum ex argutis, quas effutiunt, interrogationibus. Quaerunt enim primum: *πότεροί εἰσι τῶν ἀνθρώπων οἱ μανθάνοντες; οἱ σοφοὶ ἢ οἱ ἀμαθεῖς;* quod, quocumque modo dixerit Clinias, refutatum iri debere [4]). Id quod ita pronunciat

1) Vid. Prooem. Euthyd. p. 403. sq. coll. Prooem. Cratyl. p. 15. Diog. L. II. 30.

2) Euthyd. p. 273. d. 274. e.

3) Euthyd. p. 275. c.

4) Euthyd. p. 275. d. e.

Euthydemus: πότερα οἱ μανθάνοντες μανθάνουσιν, ἃ ἐπίστανται, ἢ ἃ μὴ ἐπίστανται; Quapropter se putat pulcrum et beatum: πάντ', ὦ Σώκρατες, τοιαῦτα ἡμεῖς ἐρωτῶμεν ἄφυκτα [1]. Quod sophisma ab Aristotele [2]) commemoratur ut exemplum dicti παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν. Contemnit autem Socrates puerilem hunc verborum lusum [3]). Ridicula deinde est Dionysodori interrogatio: vultisne Cliniam sapientem efficere? Volumus. Estne iam sapiens Clinias? Non est. Vultis itaque eum esse quidem id, quod non est, quod autem iam est, non esse: id est, perdere eum vultis [4]). Vides hanc etiam versari quaestionem in discrimine inter *esse* et *non esse*, quod tantopere veteres illos exercuit. Conf. Aristot. Elench. Soph. XXV. 2. p. 616. B. Gravius est, quod sequitur, argumentum, *an pote sit mentiri*? Quicum coniungenda est Antisthenis opinio, *contra quidquam dici posse, negantis* [5]). Unde Schleiermacherus [6]) V. C. colligit, Antisthenem potissimum a Platone tangi. Cui equidem accedo, sed ita, ut Megaricos etiam captiose disputantes illam Antisthenis sententiam nonnumquam secutos esse contendam. Mera deinde verborum controversia in iis est, quae disputantur inde a p. 293. d.,

1) Euthyd. p. 276. c. d. e.

2) Aristot. Elench. Soph. VI. 3. p. 526. Buhle.

3) Euthyd. p. 278. b.

4) Euthyd. p. 283. d.

5) Euthyd. p. 286. c. Cratyl. p. 385. b. 429. d. Soph. p. 237. a. 260. c. Isocrat. Hel. laud. 1. Aristot. Metaph. IV. 29. p. 119. Br. de Xenoph. Zen. et Gorg. cap. 6. p. 945. e. Casaub. Diog. L. III. 35. IX. 53.

6) Prooem. Euthyd. p. 404.

omnes omnia scire, si quidem *unum* sciant [1]. Quamquam eiusmodi argutias ab Eubulideis effictas esse non dubitem. Quid multa? inest his quoque illa de unitate summi boni, virtutis et scientiae, ratio, sed male expressa et pronuntiata. Aperte deinde Megaricum est, quod Euthydemus Socratem a se interrogatum, interrogando respondere non vult. Semper enim esse simpliciter aut affirmandum aut negandum [2]. Testis est Aristoteles, Elench. Soph. XVII. 2. p. 586. B., ubi ait, ambiguas interrogationes verum elenchum impedire: distinguendo autem ambigua omnia fieri clara et perspicua. Ὅτ' ἐπιζητοῦσι νῦν μὲν ἧττον, πρότερον δὲ μᾶλλον οἱ ἐριστικοὶ, τὸ ναὶ ἢ οὒ ἀποκρίνεσθαι τὸν ἐρωτώμενον, ἐγίνετ' ἂν· νῦν δὲ διὰ τὸ μὴ καλῶς ἐρωτᾷν τοὺς πυνθανομένους, ἀνάγκη, προςαποκρίνεσθαί τι τὸν ἐρωτώμενον, διορθοῦντα τὴν μοχθηρίαν τῆς ἐρωτήσεως, ἐπεὶ διελομένου γε ἱκανῶς ἀνάγκη, ἢ ναὶ, ἢ οὔ, λέγειν τὸν ἀποκρινόμενον. Praesertim p. 590. Megarici eadem de causa exagitantur. Megaricos [3] autem esse Eristicos istos apud Aristotelem, e Diogene L. II. 135. patet, ubi Alexinus petit a Menedemo, quem captiose, an patrem suum caedere desiisset, interrogarat: ἐχρῆν εἰπόντα ναὶ ἢ οὔ, λῦσαι τὴν ἀμφιβολίαν. Add. Gell. N. A. XVI. 2.

Obscura deinde est Ctesippi interrogatio, p. 299., cui ita respondet Euthydemus, ut *multis* quidem *bonis* nemini opus esse affirmet: perniciosa enim esse. Quo mihi Megaricam de uno bono doctrinam respicere videtur. Simile est apud Aristotelem [4] dictum, ἀγαθὸν καὶ οὐκ ἀγαθόν quidvis esse posse. Ea quoque, quae sequitur,

---

1) Euthyd. p. 294. b.

2) Euthyd. p. 295. e.

3) Schleierm. Not. Euthyd. p. 554.

4) Soph. Elench. XXV. 4. p. 618. B.

interrogatio, an fieri possit, σιγῶντα λέγειν [1]), saepius repetita est illis apud Aristotelem sophistis. Vid. Elench. Soph. IV. 4. p. 528. X. 6. p. 558. XIX. 4. p. 597. Buhle. Porro illa dubitatio, quo pacto ἕτερον ἑτέρῳ coniungi, et ἕτερον ἕτερον εἶναι possit [2]), Megaricorum subtilitates redolet, qui nihil de quoquam praedicari posse putabant [3]). Ineptum autem istud de cane sophisma [4]), quamquam Aristoteli etiam commemoratum [5]), Megaricis quidem ascribere nolim. Sed longum est, omnia persequi. Praesertim quum extra omnem dubitationem positum esse videatur, Megaricorum revera rixas et controversias a Platone reprehendi. Praeclare autem a Schleiermachero animadversum est [6]), tristitia quadam occulta affectum haec reprehendere Platonem, propterea quod Socratica illa disciplina tam celeriter in ludum et captiones degenerarit. Id quod omnium optime gravis illa ostendit oratio, qua Dionysodoro et Euthydemo respondet Socrates, p. 303. c. coll. 278. b.

Alium etiam, quamvis dubitanter, locum adiecerim, qui mihi Megaricos prodere videtur. Is est in Menone p. 80. e. Σω. Μανθάνω, οἷον βούλει λέγειν, ὦ Μένων· ὁρᾷς τοῦτον ὡς ἐριστικὸν λόγον κατάγεις; ὡς οὐκ ἄρα ἐστὶ ζητεῖν ἀνθρώπῳ, οὔτε ὃ οἶδεν, οὔτε ὃ μὴ οἶδεν· οὔτε γὰρ ἄν, ὅ γε οἶδε, ζητοῖ· οἶδε γάρ, καὶ οὐδὲν δεῖ τῷ γε τοιούτῳ ζητήσεως· οὔτε ὃ μὴ οἶδεν· οὐδὲ γὰρ οἶδεν, ὅτι ζητήσει. Μέ. Οὐκοῦν καλῶς σοι δοκεῖ λέγεσθαι ὁ λόγος οὗτος, ὦ Σώκρατες; Σω. Οὐκ ἔμοιγε.

---

1) Euthyd. p. 300. b.

2) Euthyd. p. 301. a.

3) Plat. Soph. p. 255.

4) Euthyd. p. 298. c. d.

5) Soph. Elench. XXIV. 2. 9. p. 610. 614. B.

6) Prooem. Euthyd. p. 405.

Sequitur Platonis de recordatione doctrina. — *Τὸ γὰρ ζητεῖν ἄρα καὶ τὸ μανθάνειν ἀνάμνησις ὅλον ἐστίν· οὐκ οὖν δεῖ πείθεσθαι τούτῳ τῷ ἐριστικῷ λόγῳ· οὗτος μὲν γὰρ ἂν ἡμᾶς ἀργοὺς ποιήσειε, καί ἐστι τοῖς μαλακοῖς τῶν ἀνθρώπων ἡδὺς ἀκοῦσαι· ὅδε δὲ ἐργαστικούς τε καὶ ζητητικοὺς ποιεῖ· ᾧ ἐγὼ πιστεύων ἀληθῆ εἶναι, ἐθέλω μετά σου ζητεῖν, ἀρετὴ ὅ τι ἐστίν.* Add. Men. p. 86. c.

Persimile hoc argumentum est Stoicorum *ἀργῷ λόγῳ*. Vid. Cic. de Fat. 12. ib. Turneb. et Davis. Neque vero abhorret a litigiosis Megaricorum argumentis, quamquam nullum hic eorum doctrinae caput agnoscere mihi videar. Quaerere enim aliquid et scire velle, haud sane umquam prohibuerunt. Nisi igitur quis Stoicos ab Antisthene hanc rationem accepisse putet, Megaricis ego eam vindicem.

Alias incertior etiam res est. Ita verbi causa nemini suadeam, ut ad Megaricos referre velit, quae in Phaed. p. 102. a. adversus *ἀντιλογικούς* quosdam disputantur, qui omnia miscentes, principia et res generatas, sic ad verum perveniri posse arbitrabantur. Nam apertum est quum ex ipso Phaedone p. 90. c., tum ex locis Theaet. p. 197. a. et Soph. p. 232. b. Gorgiam et Protagoram hoc nomine a Platone appellari [1]. Quamquam infitiatus non fuerim, si quis Antistheni etiam eo loco obtrectari dixerit. Non enim solum Gorgiam is audivit [2], sed plurimum quoque in hac de *ἀντιλογικοῖς* controversia est versatus. Qua de re libros quosdam edidit, quorum tres, *περὶ τοῦ ἀντιλέγειν*, scripti erant adversus Platonem. Vid. Diog. L. III. 35. VI. 17. Neque vero alio loco, de Rep. VI. p. 499. a., tam Eristi-

1) Conf. Wyttenb. ad Phaed. p. 240. Heind. ad Phaed. p. 150.
2) Diog. L. VI. 1. Arist. Elench. Soph. XXXIV. p. 639. B. Schleierm. Prooem. Euthyd. p. 404.

eorum, quam communium oratorum et sophistarum mentionem fieri arbitror. Nec magis lepidissimam illam ardoris puerorum in dialecticam irruentium descriptionem, quae legitur de Rep. VII. p. 539. c. ad Megaricos retulerim. Verum talia nolo enumerare.

Ludendo igitur et iocando Platonem videmus coercere Megaricorum disputandi intemperantiam. At longe aliter Aristoteles facit. Re enim et facto comprobat id, quod ipse docet, non uno eodemque modo adversariis omnibus esse occurrendum. Egere enim alios persuasione, vi alios: quum quidam ignoratione veri peccent, quibus facile sit mederi, — ὅσοι δὲ λόγου χάριν λέγουσι, τούτων δ' ἔλεγχος ἴασις τοῦ ἐν τῇ φωνῇ λόγου καὶ τοῦ ἐν τοῖς ὀνόμασιν [1]). Conscripsit igitur librum de Elenchis sophisticis. In quo quum omnis generis captiones proponantur earumque solvendarum rationes, Eristicarum in primis mentionem facit. Quas ita describit: ἐριστικοὶ οἱ ἐκ τῶν φαινομένων ἐνδόξων, μὴ ὄντων δέ, συλλογιστικοὶ (λόγοι) ἢ φαινόμενοι συλλογιστικοί. Elench. Soph. II. 2. p. 524. Buhle. Add. El. Soph. XI. 3. Top. I. 1, 8.

Videmus itaque hoc Eristicorum nomine quoscumque litigiose disputantes appellari. Ita Zenonis Eleatae ἐριστικοὶ λόγοι laudantur in Phys. Ausc. I. 2. et 3. init. Zenonem autem dialecticae inventorem ipse Aristoteles dicit [2]). Quin sophismata adeo in lucem protulerat, velut Achillem, de motu [3]), librumque ediderat, qui Ἔριδες inscriptus erat [4]). Sophistis deinde, ut Pro-

---

1) Aristot. Metaph. III. 5. p. 76. Br.

2) Apud Diog. L. IX. 25. ib. Menag. Add. Appulei. Orat. de Mag. p. 7. Vol. II. Bip.

3) Aristot. Phys. VI. 9. Diog. L. IX. 29. Menag. ad L. IX. 23.

4) Suid. v. Ζήνων. Conf. Plat. Soph. p. 216. b.

tagorae et Antistheneis quoque idem nomen convenire, nullum prorsus dubium est. Quid quod Protagoram pariter atque Antisthenem plures hoc argumento atque nomine adeo libros scimus evulgasse? V. Diog. L. VI. 17. IX. 55. Megaricos autem Eristicos et dictos et habitos fuisse, non est quod iterum demonstremus.

Quinam sint Eristici, omnium optime ipse denique explanat Aristoteles. Cuius verba apponam. Ὥςπερ γὰρ ἡ ἐν ἀγῶνι ἀδικία εἶδός τι ἔχει καὶ ἔστιν ἀδικομαχία τις, οὕτως ἡ ἐναντιολογία ἀδικομαχία ἐστὶν ἐριστική· ἐκεῖ τε γὰρ οἱ πάντως νικᾷν προαιρούμενοι πάντων ἅπτονται, καὶ ἐνταῦθα οἱ ἐριστικοί. Οἱ μὲν οὖν τῆς νίκης αὐτῆς χάριν τοιοῦτοι, ἐριστικοὶ ἄνθρωποι καὶ φιλέριδες δοκοῦσιν εἶναι, οἱ δὲ δόξης χάριν τῆς εἰς χρηματισμὸν σοφιστικοί. Elench. Soph. XI. 5. p. 562. B. Quapropter ubi sophistarum ortum et incrementa describit[1], studiose ab eis Eristicos, qui victoriae tantummodo caussa pugnent, discipulisque suis non artem, sed artificia quaedam tradant, seiungit.

Quaenam tandem ex plurimis in Elenchis sophismatis vere sint Megarica, quis explorabit? Quare eam quidem quaestionem libenter missam facimus.

Accedat denique ad horum disputatorum coronam *Alexinus*, germanissimus scilicet Eubulideus [3]). Quapropter nonnulli, quemadmodum Menedemus [3]), eum sunt aspernati. Non enim contortis et aculeatis sophismatis solum sibi famam quaesivit, sed respondendi etiam in disputando brevitatem ante omnia videtur efflagitasse. V. Diog. L. II. 135. Aristot. Elench. Soph. XVII. 5.

---

1) Elench. Soph. XXXIV. 5 sq. p. 638 sq. B.

2) Diog. L. II. 109. Cic. Acad. II. 24.

3) Diog. L. II. 135.

Narrant autem, cum Zenone Cittieo magnopere eum esse conflictatum [1]. Ex eo quem adversus ipsum ediderat libro argumentatio illa sumpta esse videtur, qua Zenonem confutavit. Legitur apud Sextum Empiricum adv. Phys. IX. 108. ib. Fabr. p. 576.

Ἀλλ' ὅγε Ἀλεξῖνος τῷ Ζήνωνι παρέβαλε τρόπῳ τῷδε. Τὸ ποιητικὸν τοῦ μὴ ποιητικοῦ καὶ τὸ γραμματικὸν τοῦ μὴ γραμματικοῦ κρεῖττόν ἐστι. Καὶ τὸ κατὰ τὰς ἄλλας τέχνας θεωρούμενον κρεῖττόν ἐστι τοῦ μὴ τοιούτου· οὐδὲ ἓν δὲ κόσμου κρεῖττόν ἐστι· ποιητικὸν ἄρα καὶ γραμματικόν ἐστιν ὁ κόσμος.

Quod optime illustratur comparato Ciceronis loco, de Nat. D. III. 9. Zeno ita concludit: »*Quod ratione utitur, melius est, quam id, quod ratione non utitur. Nihil autem mundo melius. Ratione igitur mundus utitur.*« Hoc si placet, iam efficies, ut mundus optime librum legere videatur. Zenonis enim vestigiis, hoc modo rationem poteris concludere: »*Quod litteratum est, id est melius, quam quod non est litteratum. Nihil autem mundo melius. Litteratus igitur est mundus. Isto modo etiam disertus, et quidem mathematicus, musicus, omni denique doctrina eruditus, postremo philosophus erit mundus.*« Conf. L. II. 8. ib. Davis.

Vides, quibus fontibus hortulos suos irrigarit Cicero. Quamquam ei ipsum Alexini scriptum in manibus fuisse, nolim affirmare. Alexinus autem dialecticum egit adversus Zenonem, qui in re gravissima perverse concluserit. Eiusmodi porro argumentis magnopere delectati sunt Stoici. Vid. Diog. L. VII. 143. ib. Menag. Baguet. de Chrys. p. 93.

---

1) Diog. L. II. 109. 110.

III.

DIODORUS ET STILPO.

Diodorum quidem certissimum est, veluti ceteros Megaricos, quamvis magná iam rerum Graeciae vitaeque universae, etiam philosophiae, conversio facta erat, in primaria doctrina perseverasse. Ac primum quidem in ea de *uno eoque immobili Ente* sententia perstitit. Quare eius adversus *motum* argumenta deinceps explicabimus.

Locupletissimum eius rei testimonium exhibet Sextus Empiricus, adv. Math. X. 85. (113.) p. 647. Fabr.

Κομίζεται δὲ καὶ ἄλλη τις ἐμβριθὴς ὑπόμνησις εἰς τὸ μὴ εἶναι κίνησιν, ὑπὸ Διοδώρου τοῦ Κρόνου, δι' ἧς παρίστησιν, ὅτι κινεῖται μὲν οὐδὲ ἕν, κεκίνηται δέ. Καὶ μὴ κινεῖσθαι μέν, τοῦτο ἀκόλουθόν ἐστι ταῖς κατ' αὐτὸν τῶν ἀμερῶν ὑποθέσεσι· τὸ γὰρ ἀμερὲς σῶμα ὀφείλει ἐν ἀμερεῖ τόπῳ περιέχεσθαι· καὶ διὰ τούτου μήτε ἐν αὐτῷ κινεῖσθαι· ἐκπεπλήρωκε γὰρ αὐτόν· δεῖ δὲ τόπον ἔχειν μείζονα τὸ κινούμενον· οὔτε ἐν ᾧ μὴ ἔστιν· οὔπω γάρ ἐστιν ἐν ἐκείνῳ, ἵνα καὶ ἐν αὐτῷ κινηθῇ· ὥςτε οὐδὲ κινεῖται· κεκίνηται δὲ κατὰ λόγον· τὸ γὰρ πρότερον ἐν τῷδε τόπῳ θεωρούμενον, τοῦτο ἐν ἑτέρῳ νῦν θεωρεῖται τόπῳ· ὅπερ οὐκ ἂν ἐγεγόνει, μὴ κινηθέντος αὐτοῦ. Οὗτος μὲν οὖν ὁ ἀνὴρ ἐπαρήγειν θελήσας τῷ οἰκείῳ δόγματι, ἄτοπόν τι προςήκατο· πῶς γὰρ οὐκ ἄτοπον, τὸ μηδενὸς κινουμένου λέγειν τι κεκινῆσθαι; οἱ δὲ ἀπὸ τῆς σκέψεως ἐπίσης καὶ περὶ τοῦ κινεῖσθαι καὶ περὶ τοῦ κεκινῆσθαι ἀποροῦντες, οὐδὲν ἄπορον προςδέξονται, καθάπερ Διόδωρος προςήκατο· πλὴν οὗτός γε τὸν περιφορητικὸν συνερωτᾷ λόγον, εἰς τὸ μὴ κινεῖσθαί τι λέγων· εἰ

κινεῖταί τι, ἤτοι ἐν ᾧ ἐστι τόπῳ κινεῖται, ἢ ἐν ᾧ μή ἐστι· οὔτε δὲ ἐν ᾧ ἐστι· μένει γὰρ ἐν αὐτῷ, οὔτε ἐν ᾧ μή ἐστιν· οὐ γάρ ἐστιν ἐν αὐτῷ· οὐκ ἄρα κινεῖταί τι. Καὶ ὁ μὲν λόγος τοιοῦτος. — Ἡ δὲ παραμυθία τῶν λημμάτων αὐτοῦ προφανής. κτλ.

Add. sect. 112. p. 752.

Ταῦτα μὲν οὖν πρὸς τὰ ἀντιλεγόμενα τῷ ὑπὸ Διοδώρου κομισθέντι λόγῳ ἀναγκαῖον ἦν εἰπεῖν· κομίζει δὲ καὶ ἄλλους τινὰς λόγους οὐχ οὕτως ἐμβριθεῖς, ἀλλὰ σοφιστικωτέρους, ὧν τὴν ἔκθεσιν ποιησόμεθα, εἰς τὸ δύνασθαι κατὰ τὰς ζητήσεις ἕκαστον αὐτῶν ἐκκλίνειν. εὐθέως γάρ φησι, τὸ κινούμενον ἐν τόπῳ ἐστί· τὸ δὲ ἐν τόπῳ ὂν οὐ κινεῖται· δίττης δὲ οὔσης κινήσεως, μιᾶς μὲν τῆς κατ' ἐπικράτειαν, δευτέρας δὲ τῆς κατ' εἰλικρίνειαν, καὶ κατ' ἐπικράτειαν μὲν ὑπαρχούσης, ἐφ' ἧς τῶν πλειόνων κινουμένων μερῶν τοῦ σώματος ὀλίγα ἠρεμεῖ, κατ' εἰλικρίνειαν δὲ, ἐφ' ἧς πάντα κινεῖται τὰ τοῦ σώματος μέρη· δοκεῖ τούτων τῶν δυοῖν κινήσεων ἡ κατ' ἐπικράτειαν προηγεῖσθαι τῆς κατ' εἰλικρίνειαν. Ἵνα γάρ τι εἰλικρινῶς κινηθῇ, τοῦτ' ἐστιν ὅλον δι' ὅλου, πρότερον ὀφείλει νοεῖσθαι κατ' ἐπικράτειαν κινούμενον. Ὃν τρόπον ἵνα τις κατ' εἰλικρίνειαν γένηται πολιός, ὀφείλει κατ' ἐπικράτειαν προπεπολιῶσθαι· καὶ ἵνα τις κατ' εἰλικρίνειαν ληφθῇ σωρός, ὀφείλει κατ' ἐπικράτειαν γεγονέναι σωρός· κατὰ τὸν ὅμοιον τρόπον ἡγεῖσθαι δεῖ τῆς κατ' εἰλικρίνειαν κινήσεως τὴν κατ' ἐπικράτειαν· ἐπίτασις γὰρ τῆς κατ' ἐπικράτειάν ἐστιν ἡ κατ' εἰλικρίνειαν· οὐχὶ δέ γέ ἐστί τις κατ' ἐπικράτειαν κίνησις, ὡς παραστήσομεν· τοίνυν οὐθ' ἡ κατ' εἰλικρίνειαν γενήσεται· ὑποκείσθω γὰρ ἐκ τριῶν ἀμερῶν συνεστὼς σῶμα, δυοῖν μὲν κινουμένων, ἑνὸς δὲ ἀκινητίζοντος· τοῦτο γὰρ ἡ κατ' ἐπικράτειαν ἀπαιτεῖ κίνησις· οὐκοῦν εἰ προςθείημεν τέταρτον ἀμερὲς ἀκινητίζον τούτῳ τῷ σώματι, πάλιν γενήσε-

ται κίνησις· εἴπερ γὰρ τὸ ἐκ τριῶν ἀμερῶν συγκείμενον σῶμα, δυοῖν μὲν κινουμένων, ἑνὸς δὲ ἀκινητίζοντος, κινεῖται, καὶ τετάρτου προςτεθέντος ἀμεροῦς κινήσεται· ἰσχυρότερα γὰρ τὰ τρία μέρη, μεθ' ὧν πρότερον ἐκινεῖτο, τοῦ προςτεθέντος ἑνὸς ἀμεροῦς· ἀλλ', εἴπερ τὸ ἐκ τεσσάρων ἀμερῶν συγκείμενον σῶμα κινεῖται, κινήσεται καὶ τὸ ἐκ πέντε· ἰσχυρότερα γάρ ἐστι τὰ τέσσαρα ἀμερῆ, μεθ' ὧν πρότερον ἐκινεῖτο, τοῦ προςτεθέντος ἀμεροῦς· καὶ εἰ τὸ ἐκ τῶν πέντε συγκείμενον κινεῖται, πάντως καὶ ἕκτου προςελθόντος ἀμεροῦς κινήσεται, ἰσχυροτέρων ὄντων τῶν πέντε παρὰ τὸ ἕν· καὶ οὕτω μέχρι μυρίων ἀμερῶν προέρχεται ὁ Διόδωρος, δεικνύς, ὅτι ἀνυπόστατός ἐστιν, ἡ κατ' ἐπικράτειαν κίνησις· ἄτοπον γάρ φησι τὸ λέγειν κατ' ἐπικράτειαν κινεῖσθαι σῶμα, ἐφ' οὗ ἐνακιςχίλια ἐνακόσια ἐνενήκοντα ὄκτω ἀκινητίζει ἀμερῆ, καὶ δύο μόνον κινεῖται· ὥςτε οὐδὲν κατ' ἐπικράτειαν κινεῖται. εἰ δὲ τοῦτο, οὐδὲ κατ' εἰλικρίνειαν· ᾧ ἕπεται τὸ μηδὲν κινεῖσθαι· ἀλλὰ γὰρ ἡ μὲν ἐπιχείρησις τοιαύτη πώς ἐστι· φαίνεται δὲ καὶ σοφιστική, καὶ παρακείμενον ἔχουσα τὸν ἔλεγχον. κτλ.

Confirmantur haec ab eodem scriptore his locis: Pyrrh. Hyp. III. 8, 71. p. 147. F. ib. II. 245. adv. Gramm. I. 13. (309). adv. Phys. II. 85. adv. Math. X. 113. p. 641. F. Quibus addendus est Simplic. in Aristot. Phys. fol. 225. adv.

Cuius argumentationis sane longioris vim quum persecutus sit singulari cum diligentia *Spaldingius* 1), equidem eam hoc loco repetendam non putavi. Id tamen videtur monendum, triplex eius esse genus. Quorum primum desumptum est a *spatio*, alterum a *tempore:* utriusque enim partes non esse demonstrant, ita-

1) Vind. Meg. p. 11 — 15.

que ne motum quidem ex una in alteram regionem. Tertium deinde, ut ipse Sextus ait, plane sophisticum est, summamque habet cum Sorita similitudinem. Sophisticum id appello propterea, quod illa motus *ex potiori parte* et *motus universae rei* distinctio, non modo non necessaria, sed, ut verum fateamur, non nisi Soritae inducendi causa inventa esse videatur. Quamobrem ne Diodorum quidem ipsum multum ei pretii statuisse arbitror. Quin laqueus potius videtur, quo adversarios quasi obtorto collo in suam raperet sententiam. At illud non est omittendum, Diodorum in his quoque argumentis Eleatas secutum esse. Quos omnem motum negasse satis constat [1]. A quibus vidimus non abhorruisse Euclidem [2]. Conficit rem Aristoteles Phys. Ausc. VI. 9., ubi Zenonis adversus motum rationes redarguit et refellit. Iam vero manifestum est, Diodorum Eleatica adversus motum argumenta paene mutuatum esse. Nam primam eiusmodi rationem ab eo sic videmus concludi: quidquid moveatur, suo loco moveri, neque alio: atqui quum locum suum non egrediatur, ne moveri quidem omnino. Zenonis autem tertia ratio haec ponitur ab Aristotele: *Ζήνων δὲ παραλογίζεται. εἰ γὰρ ἀεί, φησιν, ἠρεμεῖ πᾶν ἢ κινεῖται, ὅταν ᾖ κατὰ τὸ ἴσον, (ἔστι δ' ἀεὶ τὸ φερόμενον ἐν τῷ νῦν τῷ κατὰ τὸ ἴσον) ἀκίνητον τὴν φερομένην εἶναι ὀϊστόν. τοῦτο δέ ἐστι ψεῦδος. οὐ γὰρ σύγκειται ὁ χρόνος ἐκ τῶν νῦν ὄντων ἀδιαιρέτων, ὥςπερ οὐδ' ἄλλο μέγεθος*

---

1) Vide modo Parmenidem apud Simpl. ad Arist. Phys. f. 19. et 31. et Brandis. Comm. Eleat. I. p. 118. 138 seq. deinde Plat. Theaet. p. 180. d. Soph. p. 242. c. Arist. Coel. III. 1. Phys. IV. 6. Gen. et Corr. I. 8. all.

2) V. Plat. Soph. p. 249. a. Parmen. p. 156. e. 157. a.

οὐδέν [1]. Quis non videt, Eleaticam quidem rationem *tempus* simul et *spatium individuum* respicere, Megaricam autem utrumque separatim tractare? Verum una eademque ambobus inest vis et necessitas: eaque manat ex omnium unitate, partium prorsus experte. Quod autem dictum est, omne quod moveatur *nunc* moveri, id est eo temporis puncto, quod neque praeteriti neque futuri quidquam in se contineat, egregie id quidem perstringit Aristoteles, Phys. Ausc. VI. 3. Motum enim in tempore fieri dicit, quoniam ipse partibus distinguatur. Easdem vero temporis esse divisiones ac motus. V. Phys. VI. 4. Metaph. X. p. 234. Br. Quibus Eleaticam pariter ac Megaricam rationem refutat. Tertium denique argumentum non est, quod dubitemus, quin ipse Diodorus invenerit. Nam illum quidem, quem ponit duplicem motum, referri nolim ad Aristotelica illa de motu dimidiato argumenta. Phys. Ausc. VI. 4. 6. Sed hoc patet latius, quam pro hac scriptione.

Unum restat. Magnopere ante omnia hoc in Diodoro reprehenditur, quod quem motum in praesentia fieri posse neget, eum in praeterito dicat esse factum. Quo ego eum argumento sic usum esse puto, ut eorum calumnias effugeret, qui sensuum iudicio freti, omnia undecumque moveri contenderent. Illud unum enim moveri non posse, per se patet. Id quod individuas eius partes ponendo videtur indicare voluisse. Si quid autem in alio revera loco conspiceretur, *motum* quidem antea *esse* (*κεκινῆσθαι*), si ita placeret adversariis, concedebat, quamquam moveri in praesenti non posse satis sibi videretur demonstrasse. Nihil igitur aliud agebat, quum *motum* aliquid *esse* ponebat, quam unum illud

---

1) Ita quidem h. l. interpungendum putavi. De re v. Simpl. fol. 36. b. Themist. f. 55. b.

consilium primarium, motum in praesentia non fieri, itaque ne factum quidem esse umquam. Megarici enim cum Eleatis essentiam suam unam atque immotam, contra omnes omnium sophistarum atque philosophorum ratiunculas fortissime semper defenderunt.

Sed progrediendum videtur ad celeberrimam Diodori περὶ δυνατῶν [1]) sententiam. Ea vero huic, quam vidimus, coniunctissima maximos item tumultus excitavit. Videbatur enim aliis penitus negasse, quidquam fieri posse, aliis molestissimam fati necessitatem induxisse. Diodorum autem non tam parentem huius sententiae exstitisse, quae Megaricorum fuit diu antea, quam patronum disertissimum, Aristoteles ostendit, qui gravissime simul et copiosissime ea de re disputat, Metaph. IX. 3. p. 177. Br.:

Εἰσὶ δέ τινες οἵ φασιν, οἷον οἱ Μεγαρικοί, ὅταν ἐνεργῇ μόνον δύνασθαι, ὅταν δὲ μὴ ἐνεργῇ οὐ δύνασθαι· οἷον τὸν μὴ οἰκοδομοῦντα οὐ δύνασθαι οἰκοδομεῖν, ἀλλὰ τὸν οἰκοδομοῦντα ὅταν οἰκοδομῇ· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων· οἷς τὰ συμβαίνοντα ἄτοπα οὐ χαλεπὸν ἰδεῖν· δῆλον γάρ, ὅτι οὔτ' οἰκοδόμος ἔσται ἂν μὴ οἰκοδομῇ. τὸ γὰρ οἰκοδόμῳ εἶναι τὸ δυνάτῳ εἶναί ἐστιν οἰκοδομεῖν· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν· εἰ οὖν ἀδύνατον τὰς τοιαύτας ἔχειν τέχνας μὴ μανθάνοντά ποτε καὶ λαβόντα, καὶ μὴ ἔχειν μὴ ἀποβαλόντα ποτέ (ἢ γὰρ λήθῃ ἢ πάθει τινὶ ἢ χρόνῳ· οὐ γὰρ δὴ τοῦ γε πράγματος φθαρέντος· ἀεὶ γάρ ἐστιν.) ὅταν παύσηται οὐχ ἕξει τὴν τέχνην· πάλιν δ' εὐθὺς οἰκοδομήσει πῶς λαβών; καὶ τὰ ἄψυχα δὴ ὁμοίως· οὔτε γὰρ ψυχρὸν οὔτε θερ-

---

1) Cic. de Fat. 9. Epist. fam. IX. 4.

μὸν οὔτε γλυκὺ οὔτε ὅλως αἰσθητὸν οὐδὲν ἔσται μὴ αἰσθανόμενον, ὥςτε τὸν Πρωταγόρου λόγον συμβήσεται λέγειν αὐτοῖς· ἀλλὰ μὴν οὐδ' αἴσθησιν ἕξει οὐδὲν ἂν μὴ αἰσθάνηται μηδ' ἐνεργῇ· εἰ οὖν τυφλὸν τὸ μὴ ἔχον ὄψιν, πεφυκὸς δὲ καὶ ὅτε πέφυκε καὶ ἔτι ὄν, οἱ αὐτοὶ τυφλοὶ ἔσονται πολλάκις τῆς ἡμέρας καὶ κωφοί· ἔτι εἰ ἀδύνατον τὸ ἐστερημένον δυνάμεως, τὸ μὴ γενόμενον ἀδύνατον ἔσται γενέσθαι· τὸ δ' ἀδύνατον γενέσθαι ὁ λέγων ἢ εἶναι ἢ ἔσεσθαι ψεύσεται· τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦτο ἐσήμαινεν· ὥςτε οὗτοι οἱ λόγοι ἐξαιροῦσι καὶ κίνησιν καὶ γένεσιν· ἀεὶ γὰρ τό τε ἑστηκὸς ἑστήξεται καὶ τὸ καθήμενον καθεδεῖται· οὐ γὰρ ἀναστήσεται ἂν καθέζηται· ἀδύνατον γὰρ ἔσται ἀναστῆναι ὅ γε μὴ δύναται ἀναστῆναι. Εἰ οὖν μὴ ἐνδέχεται ταῦτα λέγειν, φανερὸν ὅτι δύναμις καὶ ἐνέργεια ἕτερόν ἐστιν· ἐκεῖνοι δ' οἱ λόγοι δύναμιν καὶ ἐνέργειαν ταὐτὸ ποιοῦσι· διὸ καὶ οὐ μικρόν τε ζητοῦσιν ἀναιρεῖν, ὥςτ' ἐνδέχεται δυνατὸν μέν τι εἶναι, μὴ εἶναι δέ, καὶ δυνατὸν μὴ εἶναι, εἶναι δέ. κτλ. Add. Met. XI. p. 229. 15. XII. p. 246. 14. 247. 10.

Megarici igitur *id solum fieri posse dicebant, quod verum esset; quod autem verum non esset, id ne fieri quidem posse.* Quod quomodo ex illa de uno Ente doctrina manarit, iam satis cernitur. Ens enim unum et immotum, necesse erat, ut extra omnes temporis spatiive, praeteriti futurique, certi atque possibilis fines poneretur. Unde enim ii acciderent, in illa omnium unitate? Quae quum non magis partium quam mutationum sit particeps, efficitur, non quidem *fieri nihil posse* sed *fieri ea demum posse*, quae ab aeternitate *vera sint.* Neque absurdum est hoc dictum, dummodo essentiae illam unitatem primum concesserimus. Quae quum ab Aristotele non concederetur, ingentes ab eo huic sententiae lites videmus esse illatas. Quocirca copiosissime

explanat suum inter *δύναμιν* et *ἐνέργειαν* discrimen. Esse autem, ait, *δυνατόν*, quod nihil in se habeat contrarium, quamobrem fieri non possit: *fieri* deinde accedente *ἐνεργείᾳ*. Ea porro est *motus* ille, *quo quid est* 1). Quare multis rebus non convenit *ἐνέργεια*, quae fingi tamen possunt: atque harum quidem est *δύναμις*. Per se vero *ἐνέργεια* antecedit *δύναμιν*. V. Metaph. IX. p. 179, 2. 181, 28. 185, 5. III. p. 71. 77, 7. IV. p. 106. sq. 108. XI. p. 229. Br. Phys. Ausc. II. 1. III. 2. 6. Gen. et Corr. I. 2. 9. 10. alia.

Perspicuum igitur est, summam Aristotelis philosophiam a Megarica differre. Nam quae illis uno tantum eodemque modo esse posse videbatur essentia, eam hic *diversis modis* esse arbitrabatur. Quos quum tollerent Megarici, omnem ei simul cognoscendi veritatem tollere, omniaque ad sensus referre videbantur. Quare calidius paullo eis adversatur. In quo certamine haud scio an Aristoteles ipse verba aucupetur. Nam mihi quidem non videntur negare Megarici, *aedificatorem* esse quemquam, etiam si cum maxime *non aedificet*, si modo *vere sit* aedificator. Neque vero cum Protagora consentiebant, omnes res tales esse, quales in sensus incurrerent. Quin sensibus in vero diiudicando parum aut nihil dabant. At id quidem vere dicit Aristoteles, omnem hoc modo motum et generationem iri sublatum: atque id ipsum erat Megaricorum doctrinae caput. Quae res in eam me inducit cogitationem, ut non levem ea de re Megaricos inter et Aristotelem controversiam intercessisse statuam. Cui coniecturae non exiguum probabilitatis pondus addunt reliqui, quibus eam quaestionem tractat Aristoteles, loci. Sunt autem fere hi.

Aristot. de Interpret. IX. 10.

— *Καὶ ὅτι ὅλως ἐστὶν, ἐν τοῖς μὴ ἀεὶ ἐνεργοῦσι τὸ*

1) Metaph. XI. p. 229. Br.

δυνατὸν εἶναι καὶ μὴ εἶναι ὁμοίως· ἐν οἷς ἄμφω ἐνδέχεται, καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ μὴ εἶναι· ὥςτε καὶ τὸ γενέσθαι καὶ τὸ μὴ γενέσθαι· καὶ πολλὰ ἡμῖν δῆλά ἐστιν, οὕτως ἔχοντα. κτλ. Add. XII. 3. 6. 7. 9. et 12.

De Gen. et Corr. II. 11.

Ἐπειδὴ ἐνδέχεται ἔνια τῶν ὄντων εἶναι καὶ μὴ εἶναι, δῆλον ὅτι καὶ τὰ γινόμενα οὕτως ἕξει, καὶ οὐκ ἐξ ἀνάγκης τοῦτο ἔσται. κτλ.

Elench. Soph. XX, 10. p. 600. Buhle.

Ἆρ' ὡς δύνασαι, καὶ ἃ δύνασαι, οὕτως καὶ ταῦτα ποιήσαις ἄν; οὐ κιθαρίζων δὲ ἔχεις δύναμιν τοῦ κιθαρίζειν· κιθαρίσαις ἂν ἄρα οὐ κιθαρίζων, ἢ οὐ τούτου ἔχει τὴν δύναμιν τοῦ οὐ κιθαρίζων κιθαρίζειν· ἀλλ' ὅτε οὐ ποιεῖ, τοῦ ποιεῖν; κτλ,

Apparet, opinor, hanc rem ut ab Aristotele magni iudicatam, ita a Megaricis, in primis a Diodoro, non fuisse neglectam. Testis est Alexander Aphrodisiensis, Nat. Quaest. I. 14.

Δυνατὸν λέγειν καὶ περὶ τῶν δυνατῶν, τοῦδε ὃ Διοδώρῳ λέγεται, ἤγουν ὅ ἐστιν ἢ ἔσται. Τὸ γάρ τι ὂν ἢ ἐσόμενον πάντως δυνατὸν μόνον ἐκεῖνος ἐτίθετο. Τὸ γὰρ ἐμὲ ἐν Κορίνθῳ γενέσθαι, δυνατὸν κατ' αὐτόν, εἰ ἦν ἐν Κορίνθῳ, ἢ πάντως μέλλοιμι ἔσεσθαι· εἰ δὲ μὴ γενοίμην, οὐδὲ δυνατὸν ἦν· καὶ τὸ παιδίον γενέσθαι γραμματικὸν εἰ ἔσοιτο· οὗ εἰς κατασκευὴν καὶ ὁ κυριεύων ἠρώτητο λόγος ὑπὸ Διοδώρου· ὁμοίως καὶ περὶ τοῦ κατὰ Φίλωνα· ἦν δὲ τοῦτο κατὰ ψιλὴν λεγόμενον ἐπιτηδειότητα τοῦ ὑποκειμένου, καὶ ὑπό τινων ἔξωθεν ἀναγκαίων ᾖ γενέσθαι κεκωλυμένον. Οὕτως τὸ ἄχυρον τὸ ἐν τῇ ἀτόμῳ, ἢ τὸ ἐν τῇ βυθῷ [1]) δυνατὸν ἔλεγε καυθῆναι ὂν ἐκεῖ,

1) Non satis intelligo, quid sibi velint ἄτομος et βυθός. Videtur significare *paleam nude, per se positam,* sive *notionem paleae.*

καίτοι κωλυόμενον ὑπὸ τῶν περιεχόντων αὐτὸ ἐξ ἀνάγκης· ὧν ἐστι μεταξὺ τὸ ὑπὸ Ἀριστοτέλους λεγόμενον· δυνατὸν γὰρ τὸ οἷόν τε γενέσθαι ἀκώλυτον ὄν, κἂν μὴ γένηται· τὸ γὰρ ἄχυρον τὸ μὲν μὴ ὂν ἐν τῇ ἀτόμῳ μηδὲ ὅλως ὑπό τινος κωλυόμενον, δυνατὸν καυθῆναι, κἂν μηδέποτε καυθῇ, ὅτι μὴ κεκώλυται.

Diodoro igitur eadem de re cum Philone dialectico erat pugna, quae in eo versabatur, quod Philoni illud fieri posse videbatur, quod ipsi rei alicuius notioni facile adhaeresceret, etiamsi ab externa necessitate forte impediretur. Id paleae exemplo demonstrabat, quae per se sane comburi potest, quamvis forte non uratur. Verum Diodorus ita sententia sua stetit, ut eam scholae suae more sophismate etiam includeret. De quo *Arrianus*, Epictet. diss. II. 19. ubi conf. doctrinae et acuminis plena *Jacobi Harrisii* de hac ratione disputatio, apud Schweighaeus. Vol. II. p. 515 sq. ita:

Ὁ κυριεύων λόγος ἀπὸ τοιούτων τινῶν ἀφορμῶν ἠρωτῆσθαι φαίνεται· κοινῆς γὰρ οὔσης μάχης τοῖς τρισὶ τούτοις πρὸς ἄλληλα, τῷ τὸ πᾶν παρεληλυθὸς ἀληθὲς ἀναγκαῖον εἶναι, καὶ τῷ ἀδυνάτῳ ἀδύνατον μὴ ἀκολουθεῖν, καὶ τῷ μὴ δυνατὸν εἶναι, ὃ οὔτ' ἔστιν ἀληθὲς οὔτ' ἔσται· συνιδὼν τὴν μάχην ταύτην ὁ Διόδωρος τῇ τῶν πρώτων δυοῖν πιθανότητι συνεχρήσατο πρὸς παράστασιν τοῦ μηδὲν εἶναι δυνατὸν ὃ οὔτ' ἐστὶν ἀληθὲς οὔτ' ἔσται. κτλ.

Vid. Menag. ad Diog. L. II. 108. Stoicorum in *κυριεύοντα* pugnae commemorantur a Plutarcho [1]) de comm. Notit. adv. St. 24. p. 366. Vol. V. 1. Wytt.

1) Meminit eiusdem Sympos. I. quaest. 1. Add. Themist. Orat. II. p. 30. Hard. qui locus ita legendus est: — *ὥςπερ Φίλων ἢ Διόδωρος, ὧν τὰ λαμπρὰ ἀναθήματα ὁ κυριεύων καὶ ὁ κερατίνης, σοφίσματα δυςμήχανα καὶ κακοῦργα. κτλ.* Vulgo *Ἠλιόδωρος*, non ex lapsu memoriae, quod

Chrysippus porro Stoicus eandem Diodori sententiam acerrime oppugnavit. Cuius rei Ciceronem habemus auctorem gravissimum. Sic enim alloquitur Chrysippum, de Fato c. 7.

At hoc, Chrysippe, minime vis: maximeque tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est. »Ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit verum, aut futurum sit verum: et, quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse, et quidquid non sit futurum, id negat fieri posse.« Tu, et quae non sunt futura, posse fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiam si id numquam futurum sit: neque necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi, quamquam id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset. At si ista comprobabis divina praedicta: et quae falsa in futuris dicentur, in his habebis ut ea fieri non possint: ut, si dicatur, Fabium in mari periturum, et si vere dicatur de futuro, idque ita futurum sit, ut si dicatur Africanum Karthagine potiturum, dicas esse neccessarium. Quae est tota Diodori vobis inimica sententia. et 9. s. coll. Fat. cap. 9. init. Epist. fam. IX. 4. Hieronym. adv. Pelag. p. 557. e. Augustin. Civ. Dei. V. 10. Euseb. P. E. VI. 7. p. 150. seq. R. Steph.

Atque nulla fere quaestione magis delectati sunt Stoici. Chrysippi quidem quattuor exstabant *περὶ δυνατῶν* libri [1]), e quibus fortasse desumptus est locus apud

---

ait Harduinus, sed e vitio librariorum. Deinde *κερατίνης* etiam a Luciano perstringitur, Vit. Auct. 22. p. 563. T. I. Hemsterh., ubi male *κυριεύων* legendum esse coniecit Solanus. Add. Gell. N. A. I. 2.

1) Diog. L. VII. 191. vid. *Baguet.* de Chrysippi vita, doctr. et reliquiis. (Lovan. 1822.) p. 126. sq.

Diogenem L. VII. 57. Cicero quidem certe ante oculos eos habuit. Iccirco autem Stoici hanc rem ita pertractarunt, quod gravissimam attingit de fato, hominumque libertate, quaestionem [1].

Chrysippo igitur pariter atque Aristoteli, aliquid fieri posse videbatur, si verum esse posset nulla re obstante, etiam si id nunc non esset verum. Quare iisdem fere armis item aggressus est Diodorum, quamquam fati sui necessitate ipse omnia constringeret. Quamobrem haud obscure reprehenditur a Cicerone, de fat. 9. fin. «Neque ii, qui dicunt immutabilia esse, quae futura sint, nec posse verum futurum converti in falsum, fati necessitatem confirmant, sed verborum vim interpretantur. At, qui introducunt causarum seriem sempiternam, ii mentem hominis voluntate libera spoliatam, necessitate fati devinciunt.»

Vides, quam amice Diodoro patrocinetur Cicero. Cuius, dum praeclaram voluntatem agnosco, vereor tamen, ut Diodorus hanc doctrinae suae explicationem, se verborum tantum vim voluisse interpretari, si audiat, probare velit. Enimvero altius repetendam esse hanc rem supra cognovimus.

Quonam cum Diodoro libro Chrysippus decertarit, incertum est. Laudatur quidem liber eius πρὸς Διόδωρον [2], quem ego tamen una cum voluminibus quattuor de virtute [3] Stoico cuidam Diodoro putem fuisse inscriptum. Probabile est, praesertim ex Arriano Diss. Epict.

---

1) Cic. Fat. 9. Nat. Deor. III. 6. Diog. L. VII. 149.

2) Diog. L. VII. 200.

3) Diog. L. VII. 202.

II. 19. primo *περὶ δυνατῶν* libro hoc eum argumentum pertractasse [1]).

Chrysippum deinde reprehendit Plutarchus Repugn. Stoic. p. 1055. e. s. 46. p. 301. Vol. V, 1. Wytt.

Ὁ δὲ τῶν δυνατῶν λόγος πρὸς τὸν τῆς εἱμαρμένης λόγον αὐτῷ πῶς οὐ μαχόμενός ἐστιν; εἰ γὰρ οὐκ ἔστι δυνατὸν, ὅπερ ἢ ἔστιν ἀληθὲς, ἢ ἔσται, κατὰ Διόδωρον, ἀλλὰ πᾶν τὸ ἐπιδεκτικὸν τοῦ γενέσθαι, κἂν μὴ μέλλῃ γενήσεσθαι, δυνατόν ἐστιν, ἔσται δυνατὰ πολλὰ τῶν μὴ καθ' εἱμαρμένην ἀνίκητον. κτλ. Conf. Cic. de Fat. 8.

Uberrime eundem locum tractat Alexander Aphrod. Nat. Quaest. I. 4. Cuius singula adversus Stoicos argumenta explicare, nil attinet. Summa eorum in eo versatur, ut ostendat, si ex infinita causarum serie omnia nascantur, nihil reliquum esse liberum, tollique non solum ipsum *τὸ δυνατόν*, sed hominis quoque libertatem. Nominandus denique est in eis, quorum ingenia eadem quaestio exercuit, *Hadrianus Turnebus*, qui quum in Ciceronem de fato commentaretur, singulari est eam scriptione persecutus. Legitur haec «*Disputatio ad librum Ciceronis de Fato*» in Operibus eius, p. 237—261. Vol. I. ed. Argent. 1600. fol. Propositum autem ei est, ut omnem impietatis labem a Diodoro amoveat, illiusque hac de re opinionem impense tueatur. Qua in re vir eximius satis docte feliciterque est versatus.

---

1) Fortasse eam rem persecutus est etiam libro *περὶ εἱμαρμένης*. Conf. Baguet. de Chrys. p. 218.

Memorabilis praesertim de *coniunctionibus*, sive connexis sententiis Diodoro fuit cum Philone controversia.

Sext. Empir. adv. Log. VIII. 113. p. 479. F.

Οἷον ὁ μὲν Φίλων ἔλεγεν, ἀληθὲς γίγνεσθαι τὸ συνημμένον, ὅταν μὴ ἄρχηται ἀπ' ἀληθοῦς καὶ λήγῃ ἐπὶ ψεῦδος· ὥςτε τριχῶς μὲν γίγνεσθαι κατ' αὐτὸν ἀληθὲς συνημμένον, καθ' ἕνα δὲ τρόπον ψεῦδος. Καὶ γὰρ ὅταν ἀπ' ἀληθοῦς ἀρχόμενον ἐπ' ἀληθὲς λήγῃ, ἀληθές ἐστιν, ὡς τό, εἰ ἡμέρα ἐστὶ φῶς ἐστι· καὶ ὅταν ἀπὸ ψεύδους ἀρχόμενον ἐπὶ ψεῦδος λήγῃ, πάλιν ἀληθές· οἷον τό, εἰ πέταται ἡ γῆ, πτέρυγας ἔχει ἡ γῆ· ὡςαύτως δὲ καὶ τὸ ἀρχόμενον ἀπὸ ψεύδους, ἐπ' ἀληθὲς δὲ λῆγον, ἐστὶν ἀληθές, ὡς τό, εἰ πέταται ἡ γῆ, ἔστιν ἡ γῆ· μόνως δὲ γίγνεται ψεῦδος, ὅταν ἀρχόμενον ἀπὸ ἀληθοῦς λήγῃ ἐπὶ ψεῦδος, ὁποῖόν ἐστι τό, εἰ ἡμέρα ἐστίν, νύξ ἐστιν· ἡμέρας γὰρ οὔσης τὸ μὲν ἡμέρα ἐστίν, ἀληθές ἔστιν, ὅπερ ἦν ἡγούμενον· τὸ δὲ νύξ ἐστι, ψεῦδός ἐστιν, ὅπερ ἦν λῆγον. Διόδωρος δὲ ἀληθὲς εἶναί φησι συνημμένον, ὅπερ μήτε ἐνεδέχετο μήτε ἐνδέχεται, ἀρχόμενον ἀπ' ἀληθοῦς λήγειν ἐπὶ ψεῦδος, ὅπερ μάχεται τῇ Φίλωνος θέσει· τὸ γὰρ τοιοῦτον συνημμένον, εἰ ἡμέρα ἐστίν, ἐγὼ διαλέγομαι, ἡμέρας οὔσης ἐπὶ τοῦ παρόντος καὶ ἐμοῦ διαλεγομένου κατὰ μὲν τὸν Φίλωνα ἀληθές ἐστιν, ἔπειπερ ἀπ' ἀληθοῦς ἀρχόμενον, τοῦ ἡμέρα ἐστίν, εἰς ἀληθὲς λήγει, τὸ ἐγὼ διαλέγομαι· κατὰ δὲ τὸν Διόδωρον ψεῦδος· ἐνδέχεταὶ γὰρ ἀπ' ἀληθοῦς ποτὲ ἀρξάμενον, τοῦ ἡμέρα ἐστὶν, ἐπὶ ψεῦδος λήγειν, τὸ ἐγὼ διαλέγομαι, ἡσυχάσαντος ἐμοῦ. κτλ. Conf. Pyrrh. Hyp. II. 11. 110. p. 91. adv. Phys. II. 97. adv. Math. II. 108. seqq.

Huius igitur controversiae vis in eo posita est omnis, quod Philoni quidem veri *connexi* (id est enim *συ-*

νημμένον) [1] triplex ratio esse videbatur. Nihil enim amplius desiderabat, quam ut altera eius pars, *τὸ λῆγον*, vera esset. In quo germanum se praebet Megaricum Philo, qui nihil nisi secundam enuntiationis partem spectet. At Diodorus multo accuratius eam rem tractavit, quum extremam quoque concludendi necessitatem postularet. *Id enim solum verum esse coniunctum*, aiebat, *quod incipiens a vero numquam fieri potuisset, neque posset, ut in falsum desineret.* Id quod egregie ab eo dictum esse, non est quod moneam. Praesertim quum ea re non solum praeclare meruisse de omni dialectica, sed *conclusionis* quoque *hypotheticae* fundamenta iecisse videatur. Quae quidem res in copiosissima Aristotelis conclusionum doctrina est neglecta. Nam quod etiam, *ποσαχῶς γίνονται οἱ ἐξ ὑποθέσεως συλλογισμοί*, postea se explicaturum pollicetur [2], id vero numquam videtur effecisse. At Peripatetici, Theophrastus in primis et Eudemus [3], in ea re elaborarunt. A Megaricis autem rem acceperunt Stoici, quorum eximia deinde in his connexis, sive conclusionibus hypotheticis fuit diligentia. Sic Chrysippus v. c. quattuor *περὶ ἀληθοῦς συνημμένου* volumina [4] conscripsit, e quibus sua fortasse hausit Diog. L. VII. 71. et 73. 80. Verum hac ipsa de re maxima erat Chrysippo cum Diodoro contentio. Testis est Cicero Acad. II. 47.

---

1) Conf. Diog. L. VII. 69. ib. intpp. Deinde L. VII. 71. *Connexum* sive *adiunctum* Latini dicunt. V. Gell. N. A. XVI. 8. Conf. Wyttenb. ad Plutarch. de recta aud. rat. p. 43. e. p. 369. Vol. VI. 1. Baguet. de Chrys. p. 137.

2) Anal. prior. I. 38, 4. p. 297. B. Top. I. 18, 11.

3) Alexand. ad An. I. I. f. 131. b. Io. Philop. ad Anal. pr. f. 60. seq.

4) Diog. L. VII. 190. Baguet. de Chrys. p. 67. 137.

»In hoc ipso, quod in elementis dialectici docent, quo modo iudicare oporteat, verum falsumne sit, si quid ita connexum est, ut hoc: si dies est lucet; quanta contentio est? Aliter Diodoro [1], aliter Philoni, Chrysippo aliter placet.« Add. de Fat. 6. et Appulei. de habitud. doctr. Plat. III. p. 216. Vol. II. Bip. qui haec habet: »Nec frustra constituerunt dialectici, eum verum modum esse, cuius adversum illationis cum altera acceptione tollit reliquam. At Stoici quidem tantum negativa particula praeposita putant illationem recusari, vel ex praepositionibus alteram tolli [2].«

Lis igitur in eo versatur, quod Chrysippo omne connexum verum esse videtur, cuius *consequens*, si contrarie positum sit, repugnet *antecedenti*. Quae definitio cum sententia eius, de eo quod fieri possit, est coniunctissima. Veritatis enim indicium petit a repugnantiae absentia. Id vero tantum abest ut Diodoro satisfaciat, ut is nullum verum esse arbitretur connexum, quod non necessaria et interna ab omni aeternitate consequentia coniungatur.

Affinis est Diodori de *Ambiguis* sententia, quam item oppugnavit Chrysippus.

A. Gellius, N. A. XI. 12.

»Chrysippus ait, omne verbum ambiguum natura esse, quoniam ex eodem vel plura accipi possunt. Diodorus autem, cui Crono cognomentum fuit, *Nullum*, inquit, *verbum est ambiguum: nec quisquam ambiguum dicit aut sentit; neque aliud dici videri debet, quam quod se dicere sentit is, qui dicit.* At quum ego, inquit, aliter sensi, tu aliud accepisti: obscure magis

1) Egregie ita Davis. pro vulg. Diodoto.

2) *Illatio* est ἐπιφορά, *acceptio* λῆμμα, *praepositio* πρότασις. Vides Appuleium Stoicorum uti nominibus.

dictum, quam ambigue videri potest. Ambigui enim verbi natura illa esse debuit, ut qui id diceret, duo vel plura diceret. Nemo autem duo vel plura dicit, qui se sentit unum dicere.«

Atque Chrysippi quidem de Ambiguis sententia est apud Diogenem L. VII. 62. ib. Menag. Add. Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. II. 23. Quintil. I. O. VII. 9. p. 51. sqq. Vol. II. Bip. Suid. v. ἀμφιβολία. Aristot. Rhet. II. 24. III. 11 6. Cic. de Or. II. 26. 63.

Videmus igitur, hic quoque certari propterea, quod Diodoro certum erat, plus uno verum neque *esse* neque *dici* posse: Chrysippus autem, Aristoteli obtemperans, *plures* quibus quid dici intelligive posset, *rationes* admittebat. Quantopere autem ea res acumen eius exercuerit, e multis, quibus eam tractavit, libris intelligitur. Nominantur enim *septemdecim* eiusmodi volumina a Diog. L. VII. 193. Conf. Baguet. de Chrys. p. 254.

Una etiamnum reliqua est Diodori sententia. Dixit enim, minimis individuisque corporibus omnia constare.

Sext. Empir. adv. Phys. IX. 363. p. 621. Fabr.

Ἀναξαγόρας δὲ ὁ Κλαζομένιος ὁμοιομερίας, Διόδωρος δὲ ὁ ἐπικληθεὶς Κρόνος, ἐ λ ά χ ι σ τ α καὶ ἀ μ ε ρ ῆ σ ώ μ α τ α. Eadem paene verba leguntur Pyrrh. Hyp. III. 4, 32. p. 136. adv. Math. X. 85. p. 647. F.

Stobaeus Eclog. phys. I. p. 310.

Διόδωρος, ἐπικλὴν Κρόνος, τὰ ἀ μ ε ρ ῆ σ ώ μ α τ α ἄ π ε ι ρ α, τὰ δ' αὐτὰ λεγόμενα καὶ ἐ λ ά χ ι σ τ α· ἄπειρα μὲν κατὰ τὸν ἀριθμόν, ὡρισμένα δὲ κατὰ τὸ μέγεθος.

Euseb. P. E. XIV. 23. p. 451. R. Steph. e Dionysio Episcopo Alexandrino:

Οἱ δὲ τὰς ἀτόμους μὲν ὀνομάσαντες, ἀ μ ε ρ ῆ φασιν εἶναι σ ώ μ α τ α τοῦ παντὸς μέρη, ἐξ ὧν ἀδιαιρέτων

ὄντων συντίθεται τὰ πάντα, καὶ εἰς ἃ διαλύεται· καὶ τούτων φασὶ τῶν ἀμερῶν σωμάτων ὀνοματοποιὸν Διόδωρον γεγονέναι, ὄνομα δέ, φασιν, αὐτοῖς ἄλλο Ἡρακλείδης θέμενος, ἐκάλεσεν ὄγκους.

Add. Clemens Rom. Recogn. VIII. 15. apud Coteler. B. P. p. 569. T. I. Chalcid. apud Fabr. p. 351. Hanc vero de minimis corporibus, quibus omnia concreta esse, et in quae dissolvi omnia sane dicere videmus Diodorum, doctrinam difficillimam esse apparet. Quid enim? Cum Democrito ex atomis omnia coagmentare atque efficere, aut cum Anaxagora semina quaedam rerum ponere Diodorum aut omnino Megaricos arbitrabimur, quibus omnia unum esse neque quidquam moveri videatur? Probabile est igitur, hanc de minimis partibus doctrinam cum ea argumentatione, qua motum esse posse negabat Diodorus, propius fuisse coniunctam. Id quod ipse Sextus Empir. adv. Math. X. 86. p. 647. haud obscure videtur indicare. Ut enim nihil moveri posse demonstraret, opus antea erat, ut rerum universitatis corpora sive partes poneret individuas in individuo spatio collocatas, quae, si motae esse possent, in individuo temporis momento moverentur. Id quod ei absurdum esse videbatur. Hinc deinde aliis fortasse omnia ex individuis corporibus revera fabricare est visus, quum tamen ab atomis doctrina eius longe abhorreret [1]).

Quamquam Diodorum nihil omnino de generatione rerum mutabilium, quae ab unitate Entis secernerentur, statuisse, equidem praestare nolim. Quod si fecerit, haud veri est dissimile, mundum sensibilem ex innumerabilium atque minimorum corporum concursione ei visum esse conglobatum. At Entis quidem vim individu-

1) Conf. Spalding. Vind. Meg. p. 19. Bruckeri Hist. Phil. I. p. 620. Tennemanni Hist. Ph. II. p. 150. sq.

am ab hac partium coniunctione longissime segregandam censeo. Neque certius aliquid hac de re affirmare posse quemquam existimo.

STILPO.

Videamus nunc eum, qui unus Megaricorum superest, Stilponem. Cuius summa item est dialectica laus[1].

Diog. L. II. 119.

Δεινὸς δὲ ἄγαν ὢν ἐν τοῖς ἐριστικοῖς ἀνῄρει καὶ τὰ εἴδη, καὶ ἔλεγε τὸν λέγοντα ἄνθρωπον εἶναι, μηδένα[2]*· οὔτε γὰρ τόνδε λέγειν οὔτε τόνδε· τί γὰρ μᾶλλον τόνδε ἢ τόνδε; οὔτε ἄρα τόνδε· καὶ πάλιν· τὸ λάχανον οὐκ ἔστι τὸ δεικνύμενον· λάχανον μὲν γὰρ ἦν πρὸ μυρίων ἐτῶν· οὐκ ἄρα ἐστὶ τοῦτο λάχανον.*

Tollebat igitur species sive communia, propterea quod per se nihil essent, nisi res vera accederet. Homo enim aut olus per se cogitari nequit, nisi hominem aut olus verum eo vocabulo significes. Qua in sententia Megaricum merum agnoscimus. Nam quamquam per se satis vera, minus tamen intellecta vehementissimas contentiones excitarit, neccesse est. Quae res etiam ante Stilponem Megaricis communis fuisse videtur. Nam in Aristotelis iam reprehensionem incurrit.

Aristot. de An. II. 3.

— *Γίνοιτο δ' ἂν καὶ ἐπὶ τῶν σχημάτων λόγος κοινός, ὃς ἐφαρμόσει μὲν πᾶσιν. ἴδιος δὲ οὐδενὸς ἔσται*

---

1) *Οἷόν τι συμβέβηκε καὶ ἐπὶ τοῦ Στίλπωνος λόγου καὶ Μενεδήμου· σφόδρα γὰρ ἐπὶ σοφίᾳ γενομένων αὐτῶν ἐνδόξων, κτλ.* Chrysippus apud Plutarch. Stoic. Repugn. p. 224. Vol. V. 1. Wytt.

2) f. *τὸν λ. ἄνθρωπον εἶναι, εἰπεῖν μηδένα*, vel *τὸν λ. ἄνθρωπον, εἰπεῖν μηδένα.* Conf. Is. Casaub. h. l.

σχήματος· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ ταῖς εἰρημέναις ψυχαῖς· διὸ γελοῖον ζητεῖν τὸν κοινὸν λόγον καὶ ἐπὶ τούτων καὶ ἐφ' ἑτέρων, ὃς οὐδενός ἐστι τῶν ὄντων ἴδιος λόγος, οὐδὲ κατὰ τὸ οἰκεῖον καὶ ἄτομον εἶδος, ἀφέντας τὸν τοιοῦτον.

Elench. Soph. XVII. 5. p. 587. B.

Ὡς γὰρ διορθοῦνταί τινες, οὐδὲν ὄφελος· οὐ γὰρ Κορίσκον φασὶν εἶναι μουσικὸν καὶ ἄμουσον, ἀλλὰ τοῦτον τὸν Κορίσκον μουσικόν, καὶ τοῦτον τὸν Κορίσκον ἄμουσον. Add. §. 9. p. 589.

Vides, Platonis quidem *Ideas* haudquaquam significari a Stilpone, sed *genera* tantummodo rerum sensibilium, a quibus omnis definitio pendere debet. Atque Stilpo quidem ulterius etiam progressus est. Posuit enim, *suam cuique rei esse proprietatem, alias autem plane esse res, quum de iis aliud praedicetur,* easque prorsus inter se dispares atque seiunctas, etsi per se fuerint unae eaedemque. Megaricum enim erat, nullo modo ταὐτόν et θάτερον posse coniungi, id quod semper fit, ubi de re quadam quidquam praedicatur. Testis est Simplic. ad Aristot. Phys. fol. 26.

Διὰ δὲ τὴν περὶ ταῦτα ἄγνοιαν καὶ οἱ Μεγαρικοὶ κληθέντες φιλόσοφοι λαβόντες ὡς ἐναργῆ πρότασιν, ὅτι ὧν οἱ λόγοι ἕτεροι ταῦτα ἕτερά ἐστι, καὶ ὅτι τὰ ἕτερα κεχώρισται ἀλλήλων, ἐδόκουν δεικνύναι αὐτὸν αὑτοῦ κεχωρισμένον ἕκαστον· ἐπεὶ γὰρ ἄλλος μὲν λόγος Σωκράτους μουσικοῦ, ἄλλος δὲ Σωκράτους λευκοῦ, εἴη ἂν καὶ Σωκράτης αὐτὸς αὑτοῦ κεχωρισμένος.

Quam sententiam ad Stilponem potissimum redire, Plutarchi verbis confirmatur, adv. Colot. p. 1119. c. s. 22. p. 573. Vol. V. 1. Wytt.

Μετὰ δὲ Σωκράτην καὶ Πλάτωνα προςμάχεται (Colotes sc.) Στίλπωνι, καὶ τὰ μὲν ἀληθινὰ δόγματα καὶ

τοὺς λόγους τοῦ ἀνδρός, οἷς ἑαυτόν τε κατεκόσμει καὶ πατρίδα καὶ φίλους καὶ τῶν βασιλέων τοὺς περὶ αὐτὸν σπουδάσαντας, οὔτε γέγραφεν, οὐδὲ ὅσον ἦν φρόνημα τῇ ψυχῇ μετὰ πρᾳότητος καὶ μετριοπαθείας· ὧν δὲ παίζων καὶ χρώμενος γέλωτι πρὸς τοὺς σοφιστὰς λογαρίων προὔβαλε αὐτοῖς, ἑνὸς μνησθείς, καὶ μηδὲν εἰπὼν πρὸς τοῦτο, μηδὲ λύσας τὴν πιθανότητα, τραγῳδίαν ἐπάγει τῷ Στίλπωνι, καὶ τὸν βίον ἀναιρεῖσθαί φησιν ὑπ' αὐτοῦ, λέγοντος, ἕτερον ἑτέρου μὴ κατηγορεῖσθαι· πῶς γὰρ βιωσόμεθα, μὴ λέγοντες ἄνθρωπον ἀγαθὸν μηδὲ ἄνθρωπον στρατηγόν, ἀλλὰ ἄνθρωπον ἄνθρωπον, καὶ χωρὶς ἀγαθὸν ἀγαθόν, καὶ στρατηγὸν στρατηγόν; κτλ. — s. 23. p. 575. Οὐ μὴν ἀλλὰ τὸ ἐπὶ Στίλπωνος τοιοῦτόν ἐστιν· εἰ περὶ ἵππου τὸ τρέχειν κατηγοροῦμεν, οὔ φησι ταὐτὸν εἶναι τῷ περὶ οὗ κατηγορεῖται τὸ κατηγορούμενον, ἀλλ' ἕτερον μὲν ἀνθρώπῳ τοῦ τί ἦν εἶναι τὸν λόγον, ἕτερον δὲ τῷ ἀγαθῷ· καὶ πάλιν τὸ ἵππον εἶναι, τοῦ τρέχοντα εἶναι διαφέρειν· ἑκατέρου γὰρ ἀπαιτούμενοι τὸν λόγον οὐ τὸν αὐτὸν ἀποδίδομεν ὑπὲρ ἀμφοῖν· ὅθεν ἁμαρτάνειν τοὺς ἕτερον ἑτέρου κατηγοροῦντας. Εἰ μὲν γὰρ ταὐτόν ἐστι τῷ ἀνθρώπῳ τὸ ἀγαθὸν καὶ ἵππῳ τὸ τρέχειν, πῶς καί σιτίου καὶ φαρμάκου τὸ ἀγαθόν, καί, νὴ Δία, πάλιν λέοντος καὶ κυνὸς τὸ τρέχειν, κατηγοροῦμεν; εἰ δ' ἕτερον, οὐκ ὀρθῶς ἄνθρωπον ἀγαθὸν καὶ ἵππον τρέχειν, λέγομεν.

Verum enimvero antiquior est haec sententia. Nam Plato in Antisthene, et fortassis in Euclide ipso eam reprehendit. Soph. p. 251. c. ὅθεν γε, οἶμαι, τοῖς τε νέοις καὶ τῶν γερόντων τοῖς ὀψιμαθέσι θοίνην παρεσκευάκαμεν· εὐθὺς γὰρ ἀντιλαβέσθαι παντὶ πρόχειρον ὡς ἀδύνατον τά τε πολλὰ ἓν, καὶ τὸ ἓν πολλὰ εἶναι, καί δή που χαίρουσιν οὐκ ἐῶντες ἀγαθὸν λέγειν

ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ μὲν ἀγαθὸν ἀγαθόν, τὸν δὲ ἄνθρωπον ἄνθρωπον [1]).

I. G. Buhlius [2]) in hac Stilponis sententia prima celeberrimae illius *Kantii* quaestionis, *iudicia synthetica quomodo fieri possint*, sibi videtur agnoscere. Ego vero cum Plutarcho fecerim, qui contendit, Stilponem hanc rem non tam ex animi sententia, quam ad sophistas coercendos, ita pronuntiasse. Nam plurimae eorum fallaciae in eo versabantur, ut *accurata* rei, de qua disputabant, *definitione* neglecta, subiecto ea tribuerent, quae de praedicato solum dici possent [3]). Quapropter hic nil nisi veram rei definiendae rationem a Megaricis commendari arbitror. Diversa enim diversis non convenire aiebant, verum ea tantummodo, quae in ipsa rei notione inessent. Non igitur praedicari quidquam de quoquam posse omnino negabant; sed quod de re aliqua praedicetur, id in definitione eius per se non inhaerere dicebant, sed extrinsecus ei admoveri. Qua in re neque Eleaticum quid cum Spaldingio [4]), neque Kantianam [5]) de origine cognitionis humanae quaestionem mihi videor animadvertere. Id vero Eleaticum omnino est, quod Stilponem prae ceteris nullam sensibus in vero cognoscendo fidem habuisse, *unumque Ens* posuisse, eique *ἕτερον non Ens*, omnemque praeterea

1) Add. Soph. p. 260. a. Aristot. Metaph. IV. 29. p. 119. VII. 3. p. 169. Br. Categ. II. 3. p. 448. B. Coll. Damascii Quaest. de prim. princip. ed. Kopp. (Francof. 1826.) p. 387.

2) De Log. ante Aristot. in Comm. Gott. XI. p. 248. Eandem opinionem deinceps amplexi sunt alii, ut J. Gräffe, in Diss. quae prodiit Gotting. 1794.

3) Qua in re multus est Aristot. Elench. Soph. V et XXIV.

4) Vind. Meg. p. 21.

5) Tennem. H. Ph. Vol. II. p. 163.

motum ac generationem sustulisse, certo scimus ex Aristocle apud Euseb. P. E. XIV. 7.

Stilponem disputationis litiumque magnopere fuisse studiosum, cum ex Diogenis L. II. 119., tum ex captiosa eius ad Theodorum Cyrenaicum interrogatione, quae legitur apud Diog. L. II. 100. satis patet [3]. Chrysippus etiam Stilponi et Menedemo obtrectat, sophistarum more subtilius eos interrogasse, in libro suo περὶ λόγου χρήσεως [4]) apud Plutarchum Repugn. Stoic. s. 10. p. 224. Vol. V. 1. Wytt.

Ad eius de moribus doctrinam pertinet, quod est apud Senecam, Epist. IX. p. 401. Lips. »An merito reprehendat in quadam epistola Epicurus eos, qui dicunt, sapientem se ipso esse contentum et propter hoc amico non indigere, desideras scire. Hoc obiicitur Stilponi ab Epicuro [1]), et his quibus summum bonum visum est animus impatiens.« et q. s.

Hi autem sunt Stoici atque Zeno in primis, Stilponis auditor et familiaris. Quare parum abest, quin Stilponem eorum ἀπάθειαν probasse censeam. Idque celeberrimum eius in expugnatione Megarorum dictum videtur comprobare.

ERETRIACI.

Accedant postremo, qui saepius cum Megaricis una nominantur, ELIACI et ERETRIACI. Ac de PHAEDONE quidem

---

1) Conf. Diog. L. II. 116.

2) Diog. L. VII. 201. Baguet. de Chrys. p. 253.

3) Nam Epicurus Epistolam scripserat adversus Stilponem. V. Seneca l. c. Diog. L. X. 27. 119.

nihil admodum memoriae proditum est. Nisi forte elegantem, quam Seneca commemorat, de consuetudine cum hominibus doctissimis appetenda sententiam ipsi potissimum tribuere velis [1]:

Seneca Epist. 94. p. 594. Lips.

»*Minuta quaedam, ut ait Phaedon, animalia cum mordent, non sentiuntur: Adeo tenuis illis et fallens in periculum vis est. Tumor indicat morsum, et in ipso tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in conversatione virorum sapientium eveniet: non deprehendes, quemadmodum aut quando tibi prosit: profuisse deprehendes. Quorsum, inquit, hoc pertinet? Aeque praecepta bona, si saepe tecum sint, profutura, quam bona exempla.*« Quod si modo Phaedonis Socratici est dictum, ex eius dialogis videtur esse depromptum.

Phaedoni Epicurum turpissime maledixisse, ait Cicero, de Nat. D. I. 33. Quod equidem magis ad ortum eius adolescentiamque [2] pertinere arbitror, quam ad philosophiam. Eam autem Socraticae de una virtute, eaque omnibus anteponenda, doctrinae simillimam fuisse existimo.

Plura aliquanto traduntur de
MENEDEMO.

Cicero Acad. II. 42.

»A Menedemo autem, quod is Eretria fuit, Eretriaci appellati: *quorum omne bonum in mente positum et mentis acie, qua verum cerneretur.* Illi (sc. Megarici) similia, sed explicata uberius et ornatius.«

---

1) Conf. Groddeck. Init. hist. Graec. litt. Vol. I. p. 114. ed. alt.

2) Diog. L. II. 105. ib. Menag.

Vides, quam hi sint Megaricorum similes. Nam illud bonum in mente positum, quid est, nisi Euclidis illud *unum*, quod νοῦς simul et φρόνησις appellatur? Nisi quod Menedemum pressius etiam Socratica vestigia secutum esse contendam.

Menedemus porro non exiguam litigiosis interrogationibus famam est consecutus. Eius autem sententiae difficilius intelligebantur, quamvis ab omni parte ita praemunitae essent, ut haud facile convellerentur.

Diog. L. II. 134. 135.

Καὶ δὴ καὶ τόδε ἐρωτᾷν εἰώθει· τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου ἕτερόν ἐστι; Ναί. ἕτερον δέ ἐστι τὸ ὠφελεῖν τοῦ ἀγαθοῦ; Ναί. Οὐκ ἄρα τὸ ἀγαθὸν ὠφελεῖν ἐστιν· ἀνῄρει δέ, φησι, καὶ τὰ ἀποφατικὰ τῶν ἀξιωμάτων, καταφατικὰ τιθείς· καὶ τούτων τὰ ἁπλᾶ προσδεχόμενος, τὰ οὐχ ἁπλᾶ ἀνῄρει, λέγων συνημμένα καὶ συμπεπλεγμένα.

Illud quidem captio est, quae ad eundem finem redit, atque Stilponis sententia, alterum de altero praedicari non posse. Non ita dissimilia sunt Dionysodori apud Platonem sophismata. V. Euthyd. p. 298. a. coll. Soph. 256. d. 257. b. Aristot. Elench. Soph. XXV. 4. Metaph. III. p. 74, 5. Br. Aristoteles autem negationem et affirmationem ait esse debere, ut aliquid ἕτερον cognoscatur. At Menedemus omnes per negationem demonstrationes inutiles existimavit, affirmationeque solum est usus. Affirmantium deinde enuntiationum simplices solum probavit, coniunctas appellans *connexas*, *et perturbatas*. Unde neque conclusionibus artificiosis multum eum tribuisse, apparet. Qua quidem re ab Euclide reliquisque Megaricis quodam modo videtur distare. Quamobrem eum quaedam aliter, quam Megarici, docuisse arbitror. Namque Alexini etiam praestigiis sibi praestringi non est passus.

Ridiculum enim foret, inquit, vestris legibus dialecticis obtemperare, quum in limine statim interrogationis resistere liceat [1]). Quo factum est, ut Heraclides Ponticus [2]) eum doctrina quidem Platonicum esse diceret, quamvis a dialectica alienum. De vita et moribus certe eadem docuit, quae Socrates. Argumento est memorabile eius adversus quemdam, qui summum bonum putabat, omnibus, quae quis cuperet, frui, dictum. Multo, inquit, maius est, ea solum cupere, quae decent [3]). Quod autem non abstinuit a rebus agendis negotiisque publicis, in ea re similem item se praebet Stilponi, qui iure πολιτικώτατος appellabatur. Diog. L. II. 114. Nam fuit haec posteriorum demum temporum sors et ratio [4]), ut philosophis, quemadmodum Epicureis et Stoicis, privata vita nil praestabilius videretur.

---

1) Diog. L. II. 135.

2) Apud Diog. L. l. c.

3) Diog. L. II. 136.

4) Conf. Plutarch. adv. Colot. s. 32. p. 601. seq. Wytt.

CONCLUSIO.

Iam vero restat, ut in fine operae nostrae dispersa per hanc scriptionem Megaricorum decreta colligamus, reique summam breviter describamus.

I.

ETHICA.

Qua in re exordium ducamus ab Ethica, quae Socraticis omnibus propria est ac praecipua disciplina.

Omnis igitur de moribus doctrinae Megaricae caput et fons est *summi boni idea*. Id eis in *mente* divina atque hominum *prudentia* positum esse videbatur. Haec deinde prudentia una erat virtus, quam diversis nominibus significari putabant. Parens autem atque auctor huius de una virtute, quae mente solum et *cognitione* continetur, doctrinae ipse est *Socrates*. Cuius rationem quum initio amplecterentur Megarici, eam deinde, Parmenideae philosophiae principium adsciscendo, amplificarunt. Non igitur solum *bonum unum* esse statuebant, sed omnia, quaecumque essent, ad *entis unitatem* esse revocanda. Id autem esse simile sibi semperque constans: *ἓν καὶ ὂν καὶ ὡςαύτως ἀεὶ ἔχον*. Nec vero quidquam praeter *essentiam* ei convenire, eaque simplicitate fieri, ut *summum bonum* sit.

Bonum enim unum tantummodo esse, et quidquid *vere sit*, id et *unum* esse debere et per se *bonum*.

Summum deinde *bonum* e Socratis quidem mente

ipse erat *Deus*. *Summam* porro Eleatae *essentiam*, quae nil nisi una esset, perhibebant *Deum*. Utramque igitur rationem inter se coniunxisse videntur Megarici sic, ut *summum bonum*, *quod unum et sempiternum item esset*, *Deum* appellarent. Qua in re Platoni sunt similes.

Socrates, quae uni illi bono, in mente et cognitione posito, repugnarent, ea esse negabat: neminem enim peccare scientem. Eleaticum autem erat, neque fieri neque dici quidquam posse, quod summae essentiae contrarium esset: *ὅτι οὐκ ἔστι τὸ μὴ ὂν εἶναι λέγειν*. Haec ita copulabant Megarici, ut ea, quae contraria (*ἀντικείμενα*) essent uni illi bono, quod omnia vere entia in se complecteretur, non *esse*, sed *fieri* tantummodo existimarent. Omnia enim, quae *diversa* (*θάτερα*) essent ab summa essentia (*ταὐτόν*), *non esse*. Quare omnis rerum multitudo et varietas, mundusque adeo, qui in sensus incurrit, universus proprie *non est*, neque cum essentia quidquam habet commune. Itaque eius ne cognitio quidem esse potest, sed perceptio tantummodo per sensus. Similiter *Entis* vis et natura *mente* solum perspicitur.

Deus ipse separatus ab *hominis mente* aut intelligentia eis esse videbatur. Non enim sequitur, ut quod in hominis natura summum est bonum atque in ea solum etiam *est*, id continuo *per se* sit summum bonum summaque omnium Essentia.

Quid de rebus sensibilibus statuerint, et an duplex omnino rerum principium, *Deum materiamque*, posuerint, non liquet. Quamquam quum res mutabiles nullo pacto *esse* posse, sed *fieri* tantummodo, docuerint, eas ne *bonas* quidem esse, videntur putasse. Unde non est statim colligendum, *malas* eas per se esse debere, malique in mundo originem.

Finis igitur bonorum homini quidem est virtus una, quam dicebant *prudentiam*. Quae quum cognitione contineatur, doceri etiam potest. Hanc qui assecutus est, tamquam concentum quemdam actionum omnium vitaeque universae cum summa illa essentia, cuius communione omnes res et verae et bonae sunt, in se habet. Quae res Platonis harmoniam vitae quodam modo redolet. Virtutem igitur adeptus nemo ulla re alia egere potest, neque res humanae atque mortales magnopere ad eum pertinent. Qua in re manifesta est quaedam cum Cynicorum atque Stoicorum ἀπαθείᾳ similitudo. Nam utrique, et Megarici et Stoici, opes, cupiditates, amicitiasque infra se positas existimabant.

II.

Sequitur, ut ea quae de Megaricorum *Physica* comperimus, exponamus.

Ens illud unum stabile et immotum res varias et mutabiles nullo pacto in se comprehendit, omnisque generationis et corruptionis est expers. In utraque autem naturalis scientia magna ex parte versatur. Megarici igitur verum Ens ab omni mutatione segregabant. Quapropter in Platonis incurrunt reprehensionem, cui ταὐτόν et θάτερον nequaquam ita visum est disiungendum, ut eorum nulla umquam fieret copulatio, utpote quae res Entis omnem penitus tolleret cognitionem; deinde vero poenas dant Aristoteli, cui minime probatur, quod Enti generationem ponebant repugnare.

Neque exposuerunt, mundus sensibilis utrum quodam modo ex Ente pendeat, necne. Nisi quod Motum in Ens quidem cadere non posse, copiose demonstrabant. Non enim eum admittunt Temporis Spatiique unitas. Quod si igitur aliquid in alio loco conspiciatur,

motum esse (*κεκινῆσθαι*) dici quidem licere, *moveri* (*κινεῖσθαι*), non licere. Quae res ut aptius explicari possit, Diodorus quidem Cronus Mundum minimis et individuis constare corporibus dixisse perhibetur. Ex quorum concursione an rerum variarum generationem explicuerit, haud satis est apertum.

Multum deinde disputarunt de eo, quod fieri potest. Nihil enim fieri posse, quod non aut verum sit, aut futurum sit verum. Essentia nimirum una semper est. *Est* enim extra omnes temporis spatiive fines. Quare et ab Aristotele reprehenduntur propter eius de *δυνάμει* et *ἐνεργείᾳ* doctrinam, et a Chrysippo Stoico, propterea quod ipsius *περὶ δυνατῶν* sententiam ita refellere videantur.

III.

Dialectica denique est, qua in primis Megarici floruerunt.

Cuius principium atque finis *Entis* item est *unitas*. Id quod plane est Eleaticum. Sunt autem unius Entis *species* quaedam, eaeque fortasse veri bonique summae notiones. Tales enim Euclidem probabile est *Ideas* posuisse. Quae quum ab omni rerum mutabilium contagione seiungantur, mente solum, nec vero sensibus, cognoscuntur. Ea demum cognitio vera putanda est scientia. Idearum autem multitudine ipsum illud unum Ens non magis distribuitur, quam dies, qui quocumque penetret, unus tamen est, neque a se umquam dividitur.

Ens igitur *unum* est atque simile semper: quo fit, ut *numquam* esse possit *aliud*, *ὅτι ταὐτὸν οὐ θάτερον*. Quocirca a Platone in Sophista Megarici reprehenduntur. Atque hoc est praecipuum Platonem inter et Eu-

clidem discrimen. Plato enim Motum Statumque notioni Entis non repugnare dicit, et cum ea posse coniungi: *est* enim uterque, quamquam non uno eodemque loco ac tempore: Euclides vero omnia ab Ente diversa aut contraria penitus removet.

Ens igitur unum ubique invenire ac demonstrare studebant. Quare *definitione* ante omnia accurata utentes, quae Socratica rursus est ratio, omnibus in demonstrando comparationibus abstinebant. Obscurari enim iis potius rem, quam illustrari, videndum autem esse id, de quo disputetur, atque per se quidem positum. Diversis autem *praedicatis*, ut ita dicam, adiiciendis, unas easdemque res fieri diversas: quare nihil de re aliqua posse praedicari, quod non per se in eius notione quodam modo insit. Communia deinde genera non esse, quoniam a rebus ipsis separata ne cogitari quidem possint. Quare in demonstrationibus eam, quae in manibus sit, rem ante omnia esse spectandam, idque fieri optime accurate definiendo.

Idem illud firmitatis atque rerum veritatis studium fecit, ut conclusiones in refellendis adversariis magis impugnarent, quam sumptiones rationum. Quae res, quamquam per se non nimis aperta, ostendit tamen, quam mature conclusionibus artificiosis nectendis operam navarint. Atque in primis conclusionum, quas vocant, hypotheticarum leges videntur posuisse. Nam multum diligentiae constituendo in eiusmodi connexis *iudicio* (*κριτηρίῳ*) *veritatis* eos tribuere videmus. Summam autem in ea re desiderabant concludendi necessitatem, quare id solum verum esse dicebant, quod numquam fieri posset aut potuisset, ut falsum esset. Haec deinde atque alia etiam concludendi disputandique artificia a Megaricis tamquam hereditate ad Stoicos pervenere. Principem in his locum obtinent sophismata illa sive interrogatio-

nes captiosae, quae permagnam sibi quondam famam pepererunt. Quibus nemo tam erit ineptus, ut aut ipsos, qui eas invenere, fidem habuisse Megaricos, aut nil nisi imperitis disputandi fraudem eos facere voluisse, arbitretur. Quin demonstrare voluisse videntur, nihil magis in dialectica esse cavendum, quam falsas conclusiones. Eodem pertinet, quod nullum verbum ambiguum esse statuebant. Nam si omne verbum ait aliquid, aut negat, plus uno verum esse non potest. Id autem inest et in cuiusque verbi notione, et in mente eius, qui eo verbo quum maxime utitur.

Celeberrima denique doctrina, *fieri nihil posse*, quod *non sit verum*, ex parte quidem ad dialecticam videtur spectare. Nam Entis vis illa, quae omnia in se complectitur, ea praeclare indicatur. Quis autem neget, eius quod fieri potest vim, si modo recte cognoscatur, certe e rebus factis futurisve pendere? Nam nihil in his putare necessarium, id non tam sapientia, quam insana quaedam esse videtur dubitatio, a qua Megarici quidem longissime semper abhorruerunt.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA THOMANNIANA.